



A-5  

---

65 6

ARCHIVES DE LA GRANDE CHARTREUSE



A-5  
65 b

# CHARTREUSE de COLOGNE

↔ Saint-Barbe ↔

( PROVINCE DU RHIN )

---

*Origo & Series Priorum*

---

Ingo et finis primum

domus frat. Barbarar. virginia

et matris ordinis sanctissimis

in Antropoli

Colonia.



a D. Joanne Kottler

profano et piose domus

+ 25. nov. 1685.



ex libris in  
Bibliotheca civitatis Coloniae  
1350. G. (Quint. abbat.)  
Ph. Nollbrock.



1.

## Origo et Series Scriptorum Domus Sanctae Barbarae Virginis et Martyris Or- dinis Cartusiensis in Me- tropoli Ubiorum Colonia.

---

Colonia Agrippina, toto orbe terrarum cele-  
bris S. R. I. civitas Romanae ecclesiae fidelis filia,  
multorum millium Sanctorum ditissimum <sup>nav-</sup>  
artheicum, caeteras inter praerogativas, quas sibi  
vendicat, non minima est, quod virum genuerit,  
qui religione, scientia et sanctitate famosus  
ordinem celeberrimum, ecclesiae hierarchiae  
decus insigne ac ornamentum inchoavit. Ille  
est s. Bruno. Natus Coloniae Ubiorum ex  
genere patritiorum et antiqua nobilium Roma-  
norum trade, circa annum restauratae salu-  
tis 1040. Pater illius de illustri Aemiliorum  
familia, postmodum de Sapientibus (von den  
Weisen) vocata. Mater de gente Catonum, de-  
inde de Duro Pugno (Hartenfaus) nuncupata.  
Avia materna de Aemiliorum prosapia, quae  
postea de Parva cogitatione (Kleingedanck) no-  
men accepit. Proavia eiusdem familiae Stipes,  
alias de Rubea Stessa nominatus, uti fusius ex  
D. V. Stephano Broelmanno commentatur, Noster  
V. P. Georgius Garnefeld, a quo pleraque mutato.  
Domus ad Hessau prope sancti Laurentii parochiam

2

hodie dum gloriatur tanquam de vera domo ma-  
talitia s. Brunonis.

Porro idem s. Bruno liberalium artium primor-  
diis patrio in solo delibutis, secedens in Galliam, in-  
ter praestantes eruditione philosophos facile primas  
tenens, magna cum laude magisteris titulo est deco-  
ratus. Inde ulterius ad s. Theologiae studia se con-  
ferens, insigni facilitate, ardoreque proficiendi con-  
tinuo, theologorum doctissimus celeberrimusque  
evasis, tandemque beneficio ecclesiastico in Rhem-  
ensi ecclesia fuit cumulatus. Veruntamen e dam-  
natione celebris cujusdam doctoris sapienter con-  
territus, assumptis secum aliis sex ejusdem pro-  
positi sociis, Ductore domino Hugone episcopi  
Gratiopolitano, in Cartusiatas quas et loca  
aspera ac solitaria recessit, ibique sanctum or-  
dinem instituit, circa annum domini 1084. Qui  
posthac e majori ac primaeva Cartusia (unde  
et nomen Cartusienensis sortitus) veluti foecundis-  
simo fonte derivatus est in varias christiani or-  
bis provincias.

Sed hoc mirum forte quibusdam videbitur, cur  
saeculo ab ordinis instituto tertio, in patrio proge-  
nitoris sui solo, is prius illuxerit, quem sui con-  
terranei jure sane meritissimo debuissent citius  
advocasse: sed quidquid illud sit, Deus qui suis aeta-  
tibus et spatiis congrue cuncta determinat, hoc  
etiam tempore suis conterraneis hunc prius voluit  
illucescere.

Huc accedit, quod ante saeculum decimum  
tertium hic ordo in Germania fuerit incognitus, do-  
nec circa annum salutis 1326 Romae Petrus Medicus  
archipraesul Moguntinus eidem domum prope suam

urbem, et dein anno 1330 Balduinus archiepiscopus Trevirensis bina coenobia alteram extra muros Trevirenses, prope Confluentiam Monte alteram excitavit. Quorum exemplo forsitan inductus Annus Dominus Walramus de Juliaco archimystes Coloniens. eundem voluerit Coloniensem transplantare. Hic igitur Illmi D. Wilhelmi pro tunc Marchionis Juliacensis, germanus frater anno redemptionis humanae 1334. Henrico comite de Virneburg antistete Coloniensi rebus humanis exempto, in locum ipsius praeposito Leodiensi, et thesaurario Metropolitanae Coloniensis subiectus et abs Joanne XXII Roman. Pont. confirmatus, hoc eodem anno cogitavit de Cartusia Coloniae construenda mentisque suae desiderium tali diplomate manifestavit.

Nos Walramus, dei gratia s. Coloniensis ecclesiae archiepiscopus, sacri imperii per Italiam archicancellarius, universis praesentes litteras inspecturis notum facimus, quod nos ob animae nostrae salutem, et ob specialem favorem, quo ordinem fratrum Cartusianorum prosequimur, et ut idem ordo in nostra diocesi amplietur, et memoria nostra in eodem perpetuo peragatur. Pro structura monasterii et claustrii ipsius ordinis in civitate nostra Coloniensi erigenda et facienda, deputavimus et deputavimus per praesentes Priori seu personae idoneae, quam magister dicti ordinis ad hoc adjunxerit, redditus centum maldorum siliginis annuatim, et quinque solidos grossorum Turinensium singulis septimanis per collectorum reddituum nostrorum in Colonia pro tempore existentem persolvendos. Quosque subsidium dictae structurae et sustentatione fratrum,

qui in ea fuerint instituti, de aliis redditibus perpetuis. Secundum quod nobis videbitur expedire, et Deus nobis inspiraverit, duximus ordinandum in cuius rei testimonium, sigillum nostrum duximus presentibus litteris apponendum. Datum Coloniae anno domini 1334 ipso die b. Nicolai episcopi.

Sed cum de loco coenobii stuerendi archiepiscopus esset sollicitus, nec sese talis commodus offerret, eo humanitas quantumvis diligenter at incassum quaesito. Tandem eidem ex more viam Romanam oberenti, cum ad locum, ubi s. Severinus praesul Coloniensis epimissionem angelorum animam sancti Martini ad coelos deducentium olim audivit (qui idcirco in praesens usque ager s. Martini, vulgariter Martinsfelt nuncupatur), venisset, divinitus coelesti revelatione monstratus fuit, illi locus, dictumque s. Martinus vult hic aedificari. Ita referunt illi, qui inter Cartusias miraculose constructas etiam hanc Coloniensem recensent. Henricus Halcar de ortu Cartusiae, cap. 10; Petrus Dorlandus in Chron. lib. 6. cap. 21; Petrus Sutor: de vita Cartus. pag. 67; editio Colon. Erhardus Winheim in sacrario Colon. Tit. 27. Verba v. P. Petri Sutoris doctoris Parisiensis sunt ista: Est domus s. Barbarae in Colonia civitate quae et ipsa miraculosae fundata est. Etenim cum loci archiepiscopus sanctae memoriae Walramus domum Cartusiensis ordinis fundare instituisset, post multa loca diligenter quaesita, tandem per coelestem revelationem ostensus est locus, in quo aedificare deberet. Eique dictum est ita, s. Martinus vult hic aedificari, ubi scilicet s. Severinus audiverat concentum angelorum beatissimi Martini

spiritu in coelum deducentium. Eadem, sed  
 verbis paucioribus perstrinxit Venerab. ac Cele-  
 berrimus R. Pater Henricus Walcar huius tem-  
 poris coaevus in Tract. quem descripsit de  
 ortu et decursu ordinis Cartusienis hisce  
 verbis: ' Archiepiscopus etiam Colon. Walra-  
 mus, sanctae memoriae, dum quondam  
 hanc istam domum sanctae Barbarae Colo-  
 niae fundare valens, multis hoc extra Colo-  
 niam attentasset locis. Tandem nutu Dei  
 pervenit in hunc locum, dictum s. Martini-  
 felt in quo olim s. Severinus audivit conatus  
 Angelorum animam s. Martini in coelum  
 deducentium.

Tamen vero D. Walramus principalis  
 fuerit fundator huius Cartusiae, quia tamen  
 dos ab eo collocata nimis fuerat angusta pro  
 tali opere construendo, familiaeque religiosa fo-  
 venda. Alii quoque cooperatores erant quaerendi, qui  
 pias simul manus admovent ad opus Dei perficien-  
 dum; de quibus generatim liber benefactorum huius  
 Cartusiae in haec verba D. Walramus archiepiscopus  
 Coloniensis, sacrique imperii per Italiam archican-  
 cellarius germanus frater domini Wilhelmi Marchionis  
 pro tunc Juliacensis pater ac Pater in Christo pater  
 noster fundator anno domini M. CCC. XXXV circa festum  
 Purificationis beatissimae et gloriosissimae Dei geni-  
 tricis Mariae virginis, sancti Spiritus gratia affla-  
 tus, et piae devotionis Spiritus accensus, monasteri-  
 um nostrum seu domum hanc sanctae Barbarae  
 virginis et matris infra moenia urbis Coloniens.  
 (de voluntate et consensu Capituli dominorum eccle-  
 siae Majoris Coloniensis et magistrorum civium,

consulunt, scabinorum ac civium civitatis Coloniensis) primum exorsus est erigere, et ad divini cultus ampliationem nos Cartusienses huc vocare, pro memoria sua sempiterna, et animae suae salute et remedio antecessorum suorum archiepiscopi ac Dni Wilhelmi Marchionis Juliacensis postea ducis fratris sui praedicti suorum parentum, Domini Gerardi patris, et Dominae Elisabethae Marchionum Juliacensium, omniumque suorum progenitorum: proponens illam construere, fundare finaliter et consummare. Qui tamen venerandus et pius Pater novae huius plantationis, ut praesentur initiator et fundator. Prout concepit et in votis gessit, pluribus et diversis obstaculis intervenientibus (quae hic brevitate causa non ponimus, sed subtilem) sicut voluit usque ad complementum perficere nequivit: suo tamen non fraudatus desiderio, nec, ut speramus, privatus est proemio. Et quidem hoc occulto Dei iudicio et piissimae eius dispensationi reverenter adscribendum esse videtur, ut huius sanctae foundationis ipse quidem initiator. Alii vero innumerabiles pene cooperatores esse mererentur: ac si per elemosinarum largitiones, multi minus fidei mercedem querentes et sperantes per eadem pietatis opera foelici cursu ad optatum aeternae vitae proemium pertingere possent.

Porro inter cooperatores primum sibi locum vendicat nobilis et strenuus miles D. Constantinus LisKirchen, qui dono dedit fundum pro cenobio construendo, de cuius stemmate generosus surculus hodieum elucet, praenobilis et amplissimus D.

Constantinus a Liskirchen, inclitae reipublicae  
 Coloniensis consul amplissimus, insignis fautor  
 et patronus Cartusiae. Alterum sibi tribuit Clar.  
 V. Gerardus Scerffgen schabinus Coloniensis, fun-  
 dator primae veterisque ecclesiae, ubi modo gra-  
 maria; itemque Kunegunda, vidua domini Over-  
 stoly donatrix partis unius fundi trium iuger-  
 orum. Alii deinde plures, quorum nomina in  
 tabulis benefactorum, et libro vitae scripta sunt.

Veruntamen sicuti non est rosa sine  
 spinis, nec serenitas sine nubecula. Ita fuere  
 quidam, qui pio huic operi obicem ponerent,  
 quos inter domini canonici collegiatae ecclesiae  
 s. Severinae, qui pro suis cupiditatibus magis sol-  
 liciti, quam pro domo Dei gelosi, noluerunt prae-  
 bere consensum, quod in fundo ipsorum erigere-  
 tur Cartusia. Quos ut placarent primaevi patres,  
 durissimas conditiones cum iisdem compulsi  
 fuerunt inire, ut in sequentibus patebit.

Tactis igitur fundamentis, et potente vir-  
 tute divina plures ad hoc pium opus perficien-  
 dum stimulate acciti quoque Moguntia sunt,  
 patres anno 1335, circa initium Februarii, qui  
 locum deputatum initiarent, et ad formam  
 ordinis redigerent, quorum Primarius V. P. D.  
 Joannes de Epsternaco, cognomento Polonus  
 domus sancti Johannis Baptistae in Seiz pro-  
 fessus, qui primos Cartusianos intra urbem  
 Ubiorum dux praeclarus introduxit, ac de-  
 signatis sedibus collocavit.

Erat enim praestanti vir auctoritate et ad  
 percurrendas difficultates rara industria,  
 magnanimitate, constantia, tantoque digno officio,

qui auctoritate generalis capituli prae caeteris eligeretur pro susceptione dispositioneque novarum domorum in partibus Rheni: neque enim hujus duntaxat, sed etiam Confluentiae Trevirensis ac Moguntinae Cartusiarum fuisse legitur initiator, ita micrologium Trevirensis: obiit D. Joannes, rector omnium domorum in hac terra.

Cum eodem venere Moguntia (nam. domus illius professi dubium) D. Henricus Berneberg primus Prior, D. Conradus de Ruden vicarius, D. Joannes de s. Albano procurator, D. Winandus de Moguntina sacrista, D. Joannes de Brigitta, D. Walterus. Hi primi Domus recentem aedificatae fuerunt incolae ac rectores. Plures enumerat P. Georgius Garnefelt in suis M. SS., sed non facile mihi persuadeo, domo adhuc imperfecta paucisque proventibus gaudente, sub initium plures advenisse. Igitur circa annum Domini M. CCC. XXXVIII domus noviter aedificata, a capitulo generali fuit ordini incorporata sub titulo s. Barbarae V. et M. Cur autem potius sanctae huius virginis quam alterius opinantur quidam jam ante sacellum hoc in loco sub s. Virg. huius patrocinio stetisse.

Ipse etiam initiator dispositis bene rebus omnibus hinc alio fuit evocatus, ac postliminio in domo Herbipolensi bonis operibus plenus decessit anno salutis 1349, 27 Februarii.

Atque haec de primordiis et incunabilis huius Cartusiae: sequitur brevis et legitima Priorum ejusdem successio rejectis notabilioribus sub uno quoque gestis ad sequentem tractatum sive chronologiam Cartusiae Coloniensis.

9

Primus Prior P. Henricus Sternberg.

Posteaquam D. s. Barbarae ordini fuit incorporata, ejusdem primus invenitur nominatus Prior, Dominus Henricus. Vir non minus pietate in Deum, quam prudentia in rebus gerendis excellens, ut pote, qui tantam, tamque laboriosam difficilemque Provinciam circa augmentationem domus sustinuerit, ut sive prospera sive adversa spectes, quae ipso clarum tenente multa et varia acciderunt, electum a Deo esse credas, ut per dubias ac turbulentas tempestates, ipso duce navem pusillae huius domus ad portum salutis dirigeret.

Caeterum qualiter et quamdiu praefuerit nulli libi reperitur, nisi quod ante obitum ex hac vita qui fuit 14 Novembris anno 1370 fuerit absolutus prioratus.

Anno 1344 Kal. Junij humana reliquit Clarissimus D. Gerhardus Scherffgen, scabinus Coloniensis, promotor, protector ac procurator noster, qui in initio foundationis et adventus antecessorum nostrorum extitit fidelissimus et adeo favorabilis, generosus ac utilis, quod quasi initiator ac fundator noster non in congrue poterat reputari et veraciter dici, qui tanta diligentia inchoatam foundationem prosecutus fuit, ut si ipse manum subventricem substraxisset, quasi ad nihilum redacta fuisset. Hic dilectus pater et dominus primo quidem ecclesiam nostram antiquam construxit, et consumavit, ac ornamenta cum pluribus aliis dedit et procuravit. Tandemque vocante se domino, vitam universae carnis ingressus in choro nostro ceu fundator sepultus fuit. Ita vetus M. S. Colon.

Secundus D. Joannes de S. Brigida, Rector.

Hic Ven. Pater nusquam Prioris sed Rectoris duntaxat titulo decoratur. Sed quidquid illud sit, sive Prior sit, sive Rector supremum in sui monasterii regimine caput est, eique iuxta praescriptum statutorum obeditur.

De hoc pariter altum silentium, quo scilicet anno incoeperit, quam diu et qualiter tenuerit rectoratum, virum tamen aestimo fuisse prudentem, singulari fretum fiducia in Deum, ut qui nec deiceretur adversis, nec elevaretur in prosperis.

Anno 1349, 14 Augusti feliciter obdormivit in Domino Illmus D<sup>s</sup> Walramus, archipraesul Coloniensis, fundator noster eximius Parisiis ubi defunctus, Coloniam translatus est et Summa in aede sepultus. Quo mortuo, ac haeredibus dotem assignatam praebere cunctantibus, Patres coeperunt egere, magna premi pauperie, sic ut personas dimittere, et ad alios conventus viciniore compulsi fuerint ablegare. Sed ecce vix<sup>mo</sup> alterove dimisso, Deus qui non deserit sperantes in se, sicut olim ad Eliam Thesbiten alendum, ita nunc honestam excitavit foeminam, quae statu miserabili Cartusiae cognito, compassionis zelo confixa, mox accurrit, rogans revocari fratres, se promptam iisdem subvenire, eumque in finem ilico numeravit 700 florenos. Pari instinctu permoti deinde plures e diversis locis ecclesiastici et saeculares, quos inter praestantiores, Joannes et Remboldus Tserffgen, Berswort de Tremonia, Joannes de Rivo, Tyrus de Walde, Rupertus Anglicus de Kaldewelle, Goswinus de Bercha Trajectensis: alique sua copiose contulerunt (prout

11.  
in altera parte fusius) aperte fatentes malle  
liberis detrahere, quam viros adeo pios pro con-  
versatione Coloniens. interpellatores apud Deum  
necessarios ex urbe dimittere. Sicque serenitas  
hactenus sub nube delitescens, fugatis inopiarum  
imbribus brevi restituta fuit, quod deinceps usque  
in praesens Deo opitulante Patres non egerint.

Aliud non minus morandum ac celebre cir-  
ca haec tempora referunt M. ss. contigisse mira-  
culum cum Patres in tantum essent egeri, quod  
Prior feria secunda Paschae non haberet vel pa-  
rum quidem de piscibus, quod conventui appone-  
ret, ideoque plurimum augetur, et iam sexta  
in Choro esset inchoata, postquam ex mare pran-  
detur.

Ecce ibi matrona quaedam pulsat ad portam  
necessario rogans alloquium Prioris, quem cum  
Portarius iret accitum porta semiclausa relicta, re-  
versus invenit saccum optimis piscibus plenum  
intra portas repositum nemine amplius compa-  
rente. Quod ubi Prior rescivit, et ipse stupefactus,  
monuit fratres, ut singuli cellas repeterent revo-  
candi statim post eorum praeparationem, qua-  
tenus oblatum Domini manus sua sumerent,  
Deo que pro tali beneficio condignas redderent, gra-  
tiorum actiones.

Porro Rector praefatus nostrae mortalitatis  
exuvium reliquit anno 1372, 19 Januarii mo-  
nachus privatus in cella, a rectoratu abso-  
lutus ante obitum, quo tamen anno ignoratur.

**Tertius D. Stephanus Confluentinus.**

Utrum origine vel professione Confluentinus

12.

incertum, hunc undecimum inter Priores numerat P. Georgius Garnepelt in suo catalogo, sed D. Jacobum praecessisse, et anno 1360. 1364 praefuisse certe constat e litteris. Illius obitus recenter in utroque micrologo nostro videlicet et Treverensi sub die 24 Martii, sed quo anno prioratum inchoavit, quove fenierit, quo modo aut qualiter, altum ubique silentium.

#### Quartus D. Jacobus Frootman.

Devotus hic Pater natione Germanus, patria Embricensis, primus filiorum domus, qui ad prioratum adnotus, insigni celebratur elogio hb: Primo Benefactorum huius Cartusiae his verbis: D. Jacobus Frootman de Embrica apud nos ordinem intravit et devote laudabiliter ac religiose multis annis vixit, officium prioratus in domo ista et in Auremunda aliquibus annis tenuit ac bene rexit. De annis praeterannum 1369. Qui e litteris notus, silentium est, quod et nos hic cogimur observare, vita decessit in hac domo vicarius anno 1391: 14 Martii.

#### Quintus D. Johannes de Breida.

Successit hic Pater D. Jacobo anno 1370; fuitque in re familiari procuranda satis industrius, utens opera D. Hermannii de Botis procuratoris, eius solertia atque dexteritas in M. SS. apprime commendatur. Ipse primus ordinavit, atque instituit librum defunctorum pro religiosis huius Cartusiae, anno 1372; tandemque bonis operibus plenas primus Priorum in officio sancto fine quieverit anno 1377, 21 Maji.

## Sextus D. Henricus Egger ab. Kalcar.

Ne celeberrimi huius viri aeta cursim transeamus, placet illius vitam altius discutere. Natus Calcariae in Ducatu Clevisi anno domini 1328. Puer cum esset humanioribus litteris imbutus est in patria, aelocens Coloniae gravioribus disciplinis perpolitus, exinde in Galliam secedens, Lutetiae Parisiorum sacram Theologiam egregie dedit, et magistrum Lauream accepit, indeque reversus, optimis ecclesiarum collegiatarum sancti Georgii Coloniae et sancti Swithberti in Caesaris insula praebendis ditatus fuit: quibus aliquam diu perfructus, animadvertens lubricum in ipsis statum, res suas saeculum habere iussit, et omnia eius ornamenta tanquam stercus arbitratus nucleus ad Christi nudi crucifixum confugit, et vir iam matura aetate, annos natus 37 sacrum Cattusensium habitum suscepit Coloniae anno 1365, in quo brevi tempore adeo profecit, ut tertio post anno videlicet, 1368, in domo monachorum prope Arnhemium in Priorum assumptus fuerit, ubi annis quinque laudabiliter expletis cum circa annum domini 1373. Nova coepisset fundari Cartusia Ruremundae in Geldria, ipse ad hoc opus assumptus fuit, ut rector, Primus prima illius jaceret fundamenta, quo in munere, atque in excolendo illo rudi agro praeclare se gessit.

At quinquennium vix illic existens, cum domus suae professionis per obitum domini Joannis de Breida esset privata pastore, propriae suae cogitur praeesse, Prior domni, anno 1377 in Junio. Nec interim destitit sollicitus esse pro sua novella plantatione quoad anno sequenti a capitulo generali eidem, mandaretur huic providere de alio rectore.

Porro hic Prior, tametsi domum suam pauper-  
culam invenerit, in eadem multa bona et laude dig-  
na fecit, maximam quoque calamitatem expertus  
tempore schismatis anno 1378. Quando bini Pontifi-  
ces electi Urbanus VI et Clemens VII, quod annis 50  
duravit in ecclesia, in ordine annis 30 Germanis,  
Italis, Hungaris, Anglis adhaerentibus Urbano, Gallis  
Clementi.

Sed cum septem annos expleset Coloniae. Anno  
1384 a capitulo generali fuit iussus curam suscipere  
domus montis s. Mariae prope Argentinam, ubi of-  
ficium Prioris egit annis 12, insuper annis viginti  
continuus fuit visitator Provinciae Rheni, quin etiam  
de mandato speciali visitavit aliquando domos Pi-  
cardiae, Galliae, Alemanniae inferioris. Item domum  
Pragensem in Bohemia, Brunensem in Moravia.  
Quinque deffinitaris munere functus in Capitulo Ge-  
nerali, ubi et sermos diversis vicibus ad patres conscrip-  
tos habuit sermones.

Tandem anno 1396 liber ab omnibus officiis Co-  
loniam rediit, ut ubi spiritu coeperat, ibi finiret, nec  
altera illam terra tegeret mortuum, quam ea, in  
qua Christo servatori vitam sacris votis consecravit,  
atque residuum vitae piis operibus impendit.

Fuit quoad viveret cultor beatissimae Mariae virgi-  
nis piissimus et quia deiparam miro modo dilexit,  
ipsa cum aliis duabus s. virginibus in Cella S. olim H.  
clara die per visionem se eidem visendum praebuit,  
et qualiter sibi psalterium componere posset instruxit,  
agens, primo dicendo unum 'Pater noster', deinde decem  
'Ave Maria'. Rursum unum 'Pater noster', dein 10 'Ave  
Maria', et sic consequenter usque ad 15 'Pater noster'  
et 150 'Ave Maria'. Quam revelationem uni scripsit

Briorum nostri ordinis in Anglia, et exinde quasi per totam Angliam divulgatum fuit hoc psalterium, sive modus iste colendus deiparam, ut nullus pene civis esset, qui non haberet Rosarium 15 Decadum neque cibum gustaret nisi prius persoluto hoc Dei matri penso.

Idem jam senex visus est a domino Joanne Suij, Theodorici Coloniensis Archiepiscopi elemosinario tempore recordationis ambitum circumire baculo et sic orare:

Ave Regina coelorum,  
Mater regis angelorum,  
O Maria flos virginum,  
Velut Rosa vel lilium,  
Funde preces ad filium,  
Pro salute fidelium.

Quo dicto pressit ad terram baculum, egerminato repetens, pro salute fidelium. Novissimo ante obitum anno nocte Circumcisionis domini tactus fuit paralyti in coxa sinistra, sentiesque se vocari a domino, diligentius abinde se praeparavit ad nuptias agni coelestis. Denique plenus dierum et operibus bonis sancto fine quievit anno 1408 in privilegiis s. Thomae apostoli, aetatis annorum 80, conversionis 43.

Quem sanctum patrem (sunt verba V. P. Wernerii Roelvinck) ut pie confidimus, nunc habemus in coelestibus piuum advocatum et patronum singularem hic sepultum ibi requantem, hic incineratum, illis glorificatum. Hic humiliatum, illic exaltatum, praestante domino nostro Jesu filio intemeratae virginis Mariae, cui idem semper devotissimus fuit.

Illud accedit ad laudes huius piissimi Patris, quod eius natalem seu obitus diem Petrus Canisius non dubitavit suo Germanico inserere martyrologio, utpote eximiae sanctitatis viri. Illius praeterea laudes celebrant Trithemius de eccles. scriptoribus, item de illustribus viris Germaniae Guilielmus Eisingerius, in catalogo Bastius, cap. 12; Sutor, pag. 587 edit. Coloniae; Dorlandus lib. 5. cap. 10; Thomas Bozius lib. 22, cap. 3; Petraeus, Arnoldus Ravensis in historia Martyr. Ruremund. Ego ex libro primo benefactorum huius Cartusiae seu venerandae antiquitatis elogium ipsius hisce subjicio. Dominus Henricus Egger, natus ex oppido Kalcar. Clivensis, venerabilis et dilectus Pater in Christo, ecclesiarum seu collegiorum s. Georgii Coloniensis et Werdae imperatoris canonicus attendens et ipse intellectuali oculorum et fallacem huius saeculi decursam et statum (cum sapientia, qua singulariter praeditus fuerat, utpote magister Parisiensis honoribus et divitiis florere coepisset) ipsum prudenter deseruit, et ordinem nostrum in Colonia intravit, et humilem habitum Cartusiensem arripuit: in quo tantum se dejecit et humiliavit (pristina gloria dejecta, spreta, ac calcata) ut intuentibus et proficere volentibus suae conversationis exemplo, non solum verbo et lingua, sed opere prae-luceret plenissime et veritate.

Praefuit autem venerabilis Pater iste Domini nostrae s. Barbarae in prioratu pluribus annis. Omnibus quoque nostri ordinis monachorum prope Arnheim in Geldria et Bethlem in Ruremunda, Montis s. Mariae prope Argentinam, quibus multis annis praefuit, sui regiminis conver-

sationis laborisque eximii magnam suis successoribus imitandi laudabilem ostendit formam.

Cacterum domui nostri ordinis prope Argentoratum 12 annis laudabiliter praefuit, in quo regimine suae Racheaelis formosae non inmemor, in ejus amplexus aestuans, non quievit, donec misericordia ab officio eum difficultate obtenta, ad quietis silentii et solitudinis secreta susurria et superiorum appetitionem, ac contemplationem Coloniensem rediens, quod gerebat in mente, ostendebat in opere. Tanta demique se dejecit humilitate, quiete, et pace, ut norma regulariter vivendi, et exemplum conversationis sancta omnibus foret etc.

### Septimus D. Jacobus de Jsendicke.

Domino Henrico Kalcariensi Argentoratum translato anno 1384, subrogatus fuit dominus Jacobus de Wesalia inferiori oriundus, qui cum maturioris aetatis jam esset, et sacris initiatus, attendens saeculi huius fluctuantis labilem decursum et statum (sunt verba libri benefactorum) omnia deseruit et domum nostram s. Barbarae intrauit, ac sub humili Cartusiensium habitu pluribus annis laudabiliter et exemplariter vixit, officium prioratus multis annis tenuit, et alia officia ordinis exercuit, et in sancto proposito devotus usque ad finem vitae permansit, naturae debitum solvit 29 de ann. non constat.

### Octavus D. Hermannus de Daventria.

Hic dominus Hermannus de Daventria natus, cum

esset rector scholarum Arnhemii, perpensis fallacibus mundi delitiis, eiusque gravioribus periculis, salubriter compunctus, invitis parentibus se clam inde precipuit, atque per avia ac devia currens, Deo ductore ad Montem s. Beati prope Confluentiam ordinis nostri, ad quem miro trahebatur affectu, devenit, ubi habitu, pro quo supplicabat, indutus votisque praestitis, adeo religiose vixit, quod paulo post vicarium, tum prioratus gradum unanimiter electus conscendit, in eoque multa domui isti bona contulerit, ipso enim praeside chorus ecclesiae constructus, perfectus et consecratus fuit.

Exinde ad suam instantiam a prioratu absolutus, hac in domo s. Barbarae, juxta ritum istius aevi, secundam edidit professionem, et tum quidem prius vicarii, postea Prioris onus circa annum 1388. Merata subire jussus, multa utilitate et charitate fidelis dispensator domum administravit. Ipse novam ecclesiam, quae nunc est, consummavit et consecrari fecit. Denique anno 1404, 7 augusti laborum suorum proemio potiturus, de corporis ergastulo solutus, ad coelestes sedes uti speramus, a domino translatus est, cum praefuisset annis 17. Visitor provinciae per septennium.

Honus II. Rolandus de Luysteringen.

Celeberrimus iste vir, cum esset decanus cathedralis ecclesiae Paterbornensis, et nobilitate, doctrina, auctoritate in saeculo floreret, atque ad honores majores spe fulciretur, haec omnia ab Christi amorem repudiavit, omnibus mundi fallaciis et vanitatibus rejectis ad Christi vexillum convolvit, crucis ignominiam praeferebat saeculi splen-

doce. Ad nostram itaque domum ceu portum salutis adveniens, gratiose susceptus est, brevique tempore animam omnibus religiosae disciplinae exercitationibus adeo excoluit, ut paulo post in vicariam, dein sublato praedecessore, anno 1404 in priorem assumptus, sic laudabiliter ac strenue juvante illum gratia divina praefuit, ut non modicam paupercula fundatio benedictionem per eius sedulam administrationem reportarit, prout in Chronologicis fusius demonstratur.

Fuit annis aliquot convisitor Provinciae, atque ob litteraturam eximiam, et bonam famam a capitulo generali destinatus ad concilium, magnam Constantiense, in quo dum egregium muneri suo satisfecit, pestilentiae praeventus, ibidem essit e vita, anno 1417, 9 Augusti, anno prioratus sui 13.

Fertur moriturus, astantibus suum dolorem fuisse contestatum, ideo quod animae suae profectum non diligentius procuravit, nimia solitudine detentus pro temporali successu suae domus, quod zelo ipsius nimis non recordiae adscribendum.

### Decimus Theodoricus Wammel de Clivis.

Iste D. Theodoricus, domino Rolando rebus humanis exempto, sublectus, septendecim annis praefuit huic domui, et utiliter, ac frugaliter eiusdem negotia administravit. Ipso praeside plurimum ac crevit substantia nostra, dum duas mobiles villas in Pollem et Evidenich praeter alia comparavit, de quibus inferius tract. 2. Idem aliquot annis convisitoris munere defunctus. Verum tamen anno 1430 suo liberatus, privatus deinde vixit us-

que ad annum 1442, quo pie obiit 18 Septembris.

Undecimus D. Henricus Wilde ex Culenborch.

Professus primum domus Trajectensis, ubi etiam officio Prioris defunctus, anno 1422. Concedente capitulo generali, pro domo Coloniensi professionem iteravit (quod antiquitus fuit indultum) et domino Theodorico in prioratu successit, ipsum administravit quatuor circiter annis, familiaris domino Theodorico archiepiscopo Coloniensi, qui sub ipso propria domui concessit praeilegia. Sermonem habuit existens provinciae convisitor in capitulo generali anno 1432. Vitaque defunctus anno 1437, 24 April.

Duodecimus Joannes Schunde de Doetchem.

Coelestis iste vir diversa sortitus nomina, V. P. Garnesfelt ausam praebuit ex uno duos statuendi Priores. Cognomen illi Schunde (quo pro in nigrologis Coloniens. et Trevirens. ad 19 Octobr. nomen Castoris, si tamen idem, quod nusquam legitur) Patria Doetchem, Zutphaniae comitatus oppidum, hinc a diversis de Doetchem, de Doethinchem nominatus anno 1434.

Absoluto domino Henrico, 21 Septembr. electione canonica successit prius vicarius, quo tempore iuxta descriptionem vigore statutorum factam, fuit hic status Cartusiae, aderant monachi 16, hospes unus sacerdos, redditu clerici tres, conversi duo, donati duodecim. In redditibus annuis habebant 700 floren. Rhen. nullis obnoxii debitis. In

arca 350 floren. Rhen, in cellaria vini plaustris  
 octo; in granario 593 maldr. siliginis; hordei 70  
 maldr. tritici 341 maldr, avenae 350 maldr. re-  
 perta. Curtes et villae, equis, vaccis, ~~toribus~~, porcis,  
 ovibus, caeterisque necessariis erant optime pro-  
 visae. Dabant ad census vitalitias annue supra  
 140 floren. Rhen. fuit hic Prior (utor verbis Pii  
 IV. Pontif. Rom. ad Theodoricum archiepiscopum  
 Coloniens.) magister in artibus, in sacra biblia  
 et pagina probe doctus, in temporalibus providus,  
 in spiritualibus plurimum circumspectus. Prae-  
 fuit et profuit Domui laudabiliter annis 23,  
 quibus peculium illius plurimum auxit et  
 ampliavit, coemptis diversis censibus ac fundis.  
 Provinciam ceu visitator principalis annis 17  
 gubernavit utiliter. Anno sui regiminis secundo  
 iussus sermonem facere ad Patres conscriptos  
 in capitulo generali, cum emansisset, dure cor-  
 reptus punitusque fuit. Attamen iusta sui ex-  
 cusatione prolata, sequenti anno per chartam  
 innocens habitus declaratus que.

Anno 1451, 6 Novembr. locus capituli cum  
 bibliotheca flammis absumpta corruerunt, utra-  
 que cum vestiario, sumptus praebente clariss.  
 Domino Petro Rinck aliis que, in amplioem  
 excellentioremque formam restituit. Annis  
 tamen posterioribus foeliciter rexit. Ideo soli-  
 citante conventu a. R. P. generali extra ca-  
 pitulum absolutus anno 1457; paulo post urgen-  
 te Theodorico antistete Coloniensi, cui gratus im-  
 primis acceptusque fuerat, a Pio IV. Pontifici  
 Romanorum in abbatem celeberrimi monasterii  
 s. Pantaleonis Coloniae sublectus fuit, qua digni-

X

saete quatuor annis praeclare functus, feliciter ees-  
sit e vita anno 1464, 15 Augusti.

Decimus tertius D. Hieronymus de Appeldorn.

Natus est Xanthis, Trojae Cliviorum ex nobilibus  
et opulentis parentibus, patre Gelmaro de Appeldorn,  
matre Mechtilde, anno 1408, 21 Octobr. magna cura  
enutritus, atque ad pietatem informatus. Ab infan-  
tia ad decrepidam usque senectam (singulari  
munere Dei specialiter praeservatus, ut pie cre-  
dendum, quemadmodum et fide dignis potest  
testimoniis ~~xxx~~ comprobari) nulla nunquam mor-  
talis noxae laebe animam suam detur posse, si-  
quidem disciplinis humanioribus in patria deli-  
butis, cum Coloniam missus fuisset pro sublimi-  
oribus studiis tractandis, sic se habuit caute et  
circumspecte, ut semper manserit corpore animo-  
que castus. Hinc summo opere cavet consortia studi-  
osorum, ipsique ad ludos aliaque mundi solatia con-  
fluentibus, ille se cum puero Jesu ad templum con-  
ferbat. Cum annum aetatis <sup>32</sup> attigisset, jamque  
summa apud omnes esset expectatione, multa ex-  
cellentis ingenii dedisset argumenta, spes omnis sae-  
culi abruptis, et ut d. Hieronymi verbis utar, in salo-  
naviculae funem magis praecidit, quam solvit, se-  
que totum in securissimum religionis portum in-  
tulit, noster factus Coloniae anno salutis 1431, 26  
Januarii. Porro in ordine ita exemplariter et religi-  
ose vixit, et cunctis esset speculum et norma vi-  
tae, quo factum, ut tam propter morum maturi-  
tatem, quam insignem prudentiam vix quadriennio  
in ordine expleto, Prior fuit praefectus domui Tre-

virensi, anno 1435. Mansitque biennio in ista functione: dein absolutus, rediit ad domum suae professionis, egit officium Procuratoris. Veruntamen, anno 1439 Priore Trevirensi 26 Maji peste sublato, circa festum Omnium Sanctorum iterum electus fuit ibidem, perduravitque hoc in officio annis 18, in quo velut alter Joseph prospere ac prudenter egit, ita ut Deus illi benediceret in omnibus negotiis suis, sitque hodie dum suavis ejus memoria penes Trevirenses, ab anno 1444. Annis quatuordecim continuis fuit Convisitator Provinciae, et socius sui antecessoris Prioris Coloniensis. Denique anno 1457, Cum hac domus maximam sensisset cladem ex incendio casuali, et ideo Prior fuisset amotus, 9 Novembri. Praeside V. P. Priore Ruremundensi electus canonice fuit a conventu, noster dominus Hermannus jam quinquagenarius, atque in sequenti capitulo visitator Provinciae principalis designatus, in quo utroque munere 15 fere annis ad mortem usque permansit in temporalibus adeo exercitatus, quod sine querela in melius cuncta proficerent.

Fuerunt tempore electionis hae in domo, 20 monachi professi, 4 conversi, 14 donati, quorum unus sacerdos, praebentarii duo. Habuit domus in annis proventibus 600 circiter florenos Rhen. in villis hinc inde equos 22, oves 459, vaccas 45, sues 89, in provisione, 30 plaustra vini, 350 maldra tritici, 250 maldra siliginis, 40 maldra avenae, 100 maldra & hordei, in bursa nihil, sed debuit diversis ad 4600 floren. Rhen.

Hic. V. pater domum in utroque statu provide gubernavit, disciplinam religiosam exemplo et doctrina maxime promovit, nec non in temporalibus plurimum adaudivit. Hinc reformatior ac recuperator domus nun-

cupatus, reformantur enim mores, et damna recuperantur. Ipse ambitum minorem sive parvam gallilaeam cum fornice concamerato in eam, quae nunc videtur formam exstruxit et anno 1465 complevit.

Denique cum anno 1472 excurrisset ad visitandas domos superiores Provinciae, ventens Confluentiam coepit infirmari, ibidemque devotissime obdormivit in domino, in ordinis obedientia ac multa patientia 17 Septembris, anno aetatis 64, conversionis 42. Sepultus postridie in Monte S. Beati.

Cui Cartusia Coloniensis posuit hoc elogium in suo micrologio, obiit dominus Hermannus de Appeldorn Hanthensis natione, venerabilis pater devotus, valde honestatis simulacrum, Prior, Reformator et Recuperator huius domus, cuius anima requiescat in sancta pace, amen.

### Decimus quartus II. Constantinus Brand.

2 1434

Iste V. pater anno 1437, 14 Junij sacris religionis vinculis per solemne votum se obstrinxit in hac domo fuit vicarius anno 1451. Defunctoque P. Hermannus successit in Octobri: reperit in cella Prioris 4297 marcas, 1632 maldr. siliginis, 108 maldr. tritici, 500 maldr. avenae. Ast quatuor annis cum nondum praefuisset, pertaeris calamitatum isto tempore insurgentium e dissidio archiepiscopi Coloniensis cum suo capitulo, instanter urxit suam absolutionem, factus <sup>voti</sup> compos in capitulo generali anni 1476.

Decennium quod supervixit, descriptione librorum pietatis que operibus impendit, tandem senior domus, anno 1487, 28 Julij, annis gravis, la-

coribus fractus, meritis cumulatus vitam cum morte commutavit, annum aegens 74, cum annos 53 religiose pieque transegisset in ordine.

### **Vicesimus quintus D. Joannes De Bonna,**

Venerandus hic Pater praesidentibus Priorum domorum Confluentiae et Ruremundae, et Procuratore legitimis votis D. Constantino immediates sublectus fuit, anno salutis 1476 feria secunda post <sup>8 Julii</sup> festum Visitationis B. M. V. quo tempore fuerunt monachi professi haec in domo 17, novitius unus, conversus unus, donati 15, invenit plaustra vini 66, fructi 60 maldr., siliginis 800 maldr., avenae 40 maldr. in bursa 2150 floren. Rhevens.

Vir fuit, qua pietate et religione in Deum, qua dexteritate et prudentia in rebus agendis maxime conspicuus, atque in re domestica gubernanda tam domi quam foris inter praedecessores facile primus, praefuit annis 31, mensibus quatuor. Cum laude maxima et utilitate, atque ab anno 1483 principalis visitator Provinciae quinque inter fuit capitulo Generali.

Quamprimum humeros oneri regendae domus supposuisset, ut erat cultui divino semper addictus, ab ipso Jove, ut dicitur, hoc est cultum domus Dei principium operum suorum statuerunt prudenter ratus est, ad ornatum ecclesiae tribuit ultra 3000 floren. aureorum, quibus templi, minorisque ambitus, testudinem, atque parietes dealbati pingique curavit.

Ipse oedem in umbulico templi cum duabus aris a fundamentis construi fecit. Pro orna-

in ecclesiae vestem sacerdotalem cum requisitis  
 e tela aurea calicem aureum justi ponderis, am-  
 pullas, gutturium cum pelvi, naviculam, ur-  
 nam pro aqua lustrali cum aspergillo, ciborium,  
 statuam s. Barbarae, herman pro reliquiis s.  
 Victoriae virginis, pacis instrumenta etc. Singula  
 argentea curioseque polita procuravit luxia potius  
 quam devotioni servientia.

Ambitum conventus amplificavit, exstructis  
 quatuor cellis caeteris amplioribus et insignioribus.  
 Cellam prioris veteri dejecta, opere concamato inno-  
 vavit, itemque sacellum S. P. Brunonis in ambitu  
 minori construxit; culinam cum puteo, testudine,  
 cubiculis visitorum, pluraque alia a fundo aedi-  
 ficavit, quorum seriem accuratorem in chronolo-  
 gia videbis.

Hic Prior gravissimas sustinuit calamitates  
 et summa nocumta, imprimis ab amicis Joannis  
 Hennersbechi al. Hagendorp de Wipperforde domus  
 nostri professi, ob mores perversos anno 1477 Treveros  
 relegati, ut illic procul a suis corrigeretur, verunta-  
 men urgentibus propinquis anno 1480 revocati, sed  
 in reditu apostatantis, quem sui velut innocium  
 proterve tuebantur, repetentes ea, quae domui donas-  
 set, ipse vero ad nostram instantiam citatus ab  
 officiali, ut fugae suae rationem redderet, neque  
 comparens, anno sequenti cum perseveraret con-  
 surnax, ab eodem excommunicationis fulmi-  
 ne fuit ictus, dabantque Herinannus archipraesul,  
 itemque Wilhelmus Juliae dux potestatem illum ca-  
 piendi, quocumque loco inveniretur. Amicis mibi-  
 lominus pervivaciter cum propugnans. Elec-  
 tor voluit poenitentia ab eo levi peracta denuo ad

ordinem recepi, super quo octidui petens inducias, non rediit, sed factus protervior multis Priorum affecit calumniis: quin et Martinus de Landsberg drossatus sibi sanguine junctus, anno 1491. Ruremundanis patribus nostris minatus ignem et gladium, si non intervenientibus ipsis fugitivo fieret in bonis et honore.

Aliam non minus gravem perpessus afflictionem abs Remboldo et Hermanno fratribus de Grevenrode repetentibus inique cistam cum nummis a suo quondam prosocero apud F. Henricum de Gerishem falso depositam, quod vere fictitium, quia coram commissariis memorati Ducis et electoris probare non poterant, in sua persistentes malitia, Anno 1492, Villam in Fischenich, itemque domum in Roten Kircken bina vice successivis temporibus succenderunt.

Sed nec a suis ab omni calumnia mansit immunis eodemque ad vitae terminum vergente, quidam de mala ejus administratione conquesti, falsis suis delationibus effecerunt, quod anno 1507 officio exutus, sibi que 22 Junij D. Petrus Firksee Procurator fuit sublectus. Postea tamen causis absolutionis a commissariis ordinis accuratius examinatis, innocens judicatus, 27 Septembr. ejusdem anni pristinae sedi fuit restitutus, et D. Petro expriore, et Gerardo Harlem vicario, primariis dissidii authoribus Ruremundam ablegatis. Hinc ille Dominus Petrus Firksee tanquam Prior impensus a me in serio Priorum praetermissus, quem Pater Garnefelt loco posuit indebito, sine dubis huius dissensionis inscius.

Tandem vitae et miseriarum satius obiit.

summis encomiis celebrandus vir praestantis-  
simus, anno salutis 1507, 21 Novembris.

### Decimus sextus D. Petrus Blomevema Leidensis.

Piissimus iste pater Lugduni Batavorum  
(unde et Leidensis cognominatus) e piis et hones-  
tis oriundus parentibus, anno salutis 1466 ab  
ipsis incunabilis ad supremum usque vitae di-  
em gratia specialia a domino praeventus in  
benedictionibus dulcedinis, multisque praeclarae  
naturae gratiaeque dotibus ornatus fuit. Nam  
ipso vix in lucem genito, cum parentes fratres  
que saevissima pestis abstulisset, solus ipse te-  
merimus licet infantulus hanc lucem, qua  
etiam infectus fuerat, domino ipsum protegente  
evasit. Matre siquidem postremo contagiosa hac lue  
defuncta; cum ille solus mansisset haeres bonorum,  
quibus parentes praepollebant, cognati quo sibi per-  
scelus eadem vendicare possent, divini timoris ob-  
liti, quem servare debuissent, ejusmodi consilio  
extinguere conati sunt: infantem ad Matris jam  
mortuae ubera applicant, ut inde non vitae, sed  
mortis alimentum exurgeret. Sed non est sapien-  
tia, non est consilium contra dominam contra-  
xit quidem infans pestem sed absque periculo  
vitae. Post haec annis pueritiae singulari vitae in-  
motentia transactis a teneris unguiculis (ut ajunt)  
factus et educatus videbatur ad pietatem: qui post-  
quam bonarum artium studiis aliquandiu de-  
disset operam, coelesti perfusus lumine res saeculi  
provsus aliecit, et ordinem nostrum expetuit an-

num agens vigesimam tertiam, atque admissus  
 est Coloniae, anno 1489. Porro bona sua temporalia  
 in pios usus elargitus est, ut expeditius Christum  
 sequeretur. Deinde positus religionis fundamentis,  
 tantus brevi tempore virtutis splendor, in ipso  
 emicuit, quod in eo cum summo ingenio perfec-  
 ta humilitas cum exquisita prudentia conjuncta  
 foret sanctae Columbae simplicitas. Fuit enim vir,  
 in quo nescias, quid primam admireris morum sua-  
 vitatem, an vitae sanctimoniam: modestiam et  
 affabilitatem, an poenitentiae in se asperitatem.  
 Quoad vixit tam in saeculo, quam in ordine,  
 adeo pure innocenterque se gessit, ut, qui eidem  
 fuerunt a confessionibus ore testati fuerint, nun-  
 quam ulla mortalis peccati labe animam com-  
 maculane. Virginitatem mentis et corporis  
 semper servavit integram ac illibatam ut  
 nunquam alicuius foeminae concupiscentia  
 (uti suis familiaribus amicis contestatus)  
 nunquam obsceni cuiusvis actus desideri-  
 um ejus mentem tetigerit, quam ille purita-  
 tem non otio sive desidia, sed multo labore,  
 crebris vigiliis ac precibus, strictaque sensu-  
 um refrenatione, atque severa corporis casti-  
 gatione familiarem sibi fecit. Et quamvis in-  
 terdum carnis sentiret impugnationes, illas  
 tantum semper restrinxit, ut internam pacem,  
 mentisque munditiam perpetim retineret.  
 Quanta autem fuerit devotionis, vel ex eo liquet,  
 quod a natura extiterit ad vitam contemplati-  
 vam cum primis habilis, cui cum gratia acce-  
 deret, multum in eo vitae genere profecit, adeo,  
 ut persaepe extra se reperetur, divini amoris

abstractus dulcedine. Quamobrem etiam in mensa praecipue tamen ubi sacra audiretur lectio, vel pii miscerentur sermones, tanta subinde compunctione cordis liquescebat, quod erumpentibus ubertim lacrimis, gratias ne dum absolvere, sed nec incipere quidem posset. Est magis id ipsum patiebatur in divinis officiis, ubi si quidpiam ipse solus in ecclesia vel legere vel cantare debuisset, et verbulum, quod ad divinam amorem efficacius pelliceret, occurrisset, totus coepit exultare spiritu, quod prae lacrimis sequentia pronuntiare non posset. Hinc in maioribus festis, quibus Priori summam dicere missam ex officio incumbit, non raro privatim celebravit ut inter sacrificandum liberius se mactare posset, erat enim corde mirum in modum tenero et divino amori dedito, quod sagittis amoris facilius tangi et subito vulnerari posset.

Cum igitur talis tantus esset, quod omnibus exemplum religiosae conversationis praebere, defuncto patre Joanne de Bonna, unis omnium votis electus fuit a Procuratore in Priorem, anno 1507, 30 Novembr. ac postidie confirmatus a V. P. Priori Wesaliensi, nec non anno subsequenti a Generali capitulo visitator provinciae constitutus: ipse vero ad haec mania et honoris locum erectus, unis idemque semper mansit nihil de priori puritate mentis aut devotione in Deum remittens, sed adjiciens.

Fuerunt tempore electionis in conventu 14 monachi professi, 4 novitii, foris 10 conversi, 6 donati, unus sacerdos praebendarius; in arca Prioris defuncti 244 floreni aurei, in pennario 80 plaustra vini, in granario 90 maldr. tritici,

300 mald. siliginis, 100 mald. hordei. Ex quo humeros regimini domus supposuit hic Prior, erga sibi commissum gregem sic erat affectus, quod in castigandis vitiis fuerit acerrimus, in consolandis afflictis, et sub tentationum sarcina laborantibus mansuetissimus. Si quas aliquando culpabiles zelus justitiae eundem objurgare coegisset, faciebat id eam magna gravitate et vehementia (monitis nihilominus suis vino oleoque temperatis) sic ut subinde commotus esse videbatur, veruntamen omnem illam objurgationem nisi a charitate profectam respiciatur mira ejus humanitas, qua tales reprehensiones terminare solebat blandissimum se illis exhibens quos increpaverat, ut aequanimiores ab illo semper abierint.

Ubi aliquid inordinate fieri vidit, aequo id animo ferre non poterat, sed instabat opportune impetunt increpabat, obsecrabat, adhibita etiam poenitentia, si opus fuisset, donec quod corrigendum fuerat, emendatumque cerneret, nec in hoc parcebat sibi magis familiaribus et addictis, quos offendere non verebatur justitia id exigere, donec sanctae obedientiae, uti par erat colla submitterent. Sed nec intra cancellos sui monasterii zelum hunc continere poterat; nam sicubi intra urbem Coloniensem haeticum, vel suspectae fidei concionatorem in parochiam quandam irrepsisse didicisset, ubi tum vir pius et catholicae religionis zelantissimus non cessabat per se perque alios quibuscunque modis poterat, hortari compellereque magistratum, quo adusque lupus ille fuisset expulsus. Et quia in divinis quoque litteris haud vulgariter fuit eruditus, libros quosdam edidit de vita interna et adversus haeticos, dolebat enim

pius via sub evangelii specie impuros tenebriones non nisi animas jugulare, suasque carnis foedissimas voluptates et mundi opes atque honores aucupari. Nec minor erat in viro dei patientia, atque rerum adversarum tolerantia, ut ob quamlibet illatam injuriam, damnam vel vituperium, nullum senserit unquam ulciscendi desiderium: nec ulla, quantumvis gravis calumnia, vel afflictio id ab illo extorquere poterat, quod animo maeraret ac tristaretur. Agebat enim, nulla alia re tristari vel dolere christianum debere, nisi ob culpam et noxam in Deum commissam. Afflictos his plerumque verbis solabatur, nihil utilitatis habet tristitia, nulli quicquam confert, sed multa nascuntur ex ea incommode, quae sunt etiam per ordinem recensere solitus.

Fuit vir adeo integritate vitae suscipiendus, quod maxime coleretur a pluribus ecclesiastica et saeculari dignitate praedictis, nec quisquam erat, qui non illius gauderet sui conversatione. In convivis curatoorum animos humanissime recreabat, sic tamen, ut, si quid leviter aut otiosum dictum videretur, id mox repetens ad spiritualem intelligentiam, haud absque praesentium instructione et aedificatione accommodaret.

Hic illud praeterire nequeo, quod senex quidam septuagenarius ac eruditus pater, referente sibi V. P. Laurentio Surio cognovit et ad posterum transmisit: Erat V. P. Prior erga alios mitis, placidus atque benignus: sibi vero durus, nimium rigidus ac severus: cumque fuisset sanguineae complexionis et purae conscientiae (e quibus animi jucunditas, morumque puritas repullulant) videbatur sibi nunquam excessisse metas laetitiae,

praesertim apud convivas in triclinio, quibus recreandis semper erat hilaris secundum faciem sanctorum reversus igitur a mensa in cellam, velut ad Tribunal actum suorum, quando putabat se gravius excessisse, animum gemitibus cruciabat, corpus calum vero jejuniis alias satis exhaustum, plurimum caedebat flagellis. Quod audiens aliquando P. Joannes Lauspergius ejusdem vicarius, et cellae vicinus, reserata audacter cella intravit, et Priorem verberibus deformem ac singultibus plenum comperiens, ne unquam ejusmodi tentaret, severissime prohibuit. Aequievit Prior integerrimus suo spirituali magistro et viro sancto.

Illud quoque memorandum, quod de hoc viro retulerunt seniores videlicet hunc devotissimum Patrem, quotannis deum Prior esse a Dominica tertia Quadragesimae, quam ab introitu missae dominicam Oculi passim nominamus, usque ad solemnitatem Paschalem sese abstrahere solitum ab omnibus negotiis colloquiis, et hominum conversatione, denegata etiam suis alloquendi facultate: ac interim silentium, solitudinemque servasse strictissime, nec visum, nisi cum divina forent officia persolvenda, a quibus nunquam aut raro aberrat. Quibus vero epulis hoc tempore mens illa pia fuerit enutrita, quibus delitiis recreata, solus ipse novit, qui ipsum abstraxit.

Atque haec de spirituali huius Prioris vita et conversatione. Nunc de externa domus administratione pauca adjungimus. Ipse domum in utroque statu insigniter promovit, aedificiis auxit, redditibus cumulavit. Undecies se praesentem exhibuit

comitiis generalibus in Majori Cartusia celebratis. Huius Prioris ope et auxilio, in lucem edita sunt omnia ferme opera devoti Patris Dionisii Cartusiani doctoris extatici, quod prius vix possibile videbatur ob nimiam descriptionem molem et plurimam<sup>col.</sup> plurimamque, caetera sub, et ab eo gesta enucleatim exhibet chronologia.

Tandem angelicus iste vir et virgo, Pater sine felle, plurimis confectus laboribus septuagenarius sanctissime discessit e vita anno 1536, 30 Septembris, qui praefuit annis 28, mensibus 10, magno sui bonis omnibus relicto desiderio, tantisque suorum aliorumque elatus lachrymis, quantis nemo alius hac in domo visus sepeliri.

### Decimus septimus D. Gerardus Calcificis Flamontanus,

Fuit natione Belga, Patria Flamontanus in Brabantia (unde etiam cognomen apud plerisque sortitus). Vir iam grandaevo ordini nostro Coloniae se mancipavit, cum in urbe imperiali Aquis granensi notarius publicus esset, ac multarum litterarum cognitione probe instructus. Conversionem ipsemet in formulario instrumentorum, quod in officio notariatus confecerat, hisce verbis candidissime descripsit.

Anno 1578 complacuit Altissimo (cujus miseraciones super omnia opera ejus) aeternae mortis eripere laqueis, et tanquam Lazarum quadriduanum jam in peccatis inveteratum (meritis, ut credo matris suae) mirabiliter a vinculis excutere, et ad sanctissimum ordinem Cartusianensem deducere. In ipso quidem puncto,

quo post multos labores, et post adeptam huius practicae scientiam, beneficia et officia, nec non prosperitates temporales coeperunt mihi arridere et ultro se offerre: in domo Coloniensi insperate me promovit. Ipsi soli (qui hoc miraculum cum desperata anima mea facere dignatus est) laus sit et gloria in saecula ingressus ordinem mihi nunquam displicuit nunquam dolui, vel poenitui me intrasse, licet frequentes tamen tentationes non parvas haberim.

Gratias beatissimae virgini, quae mihi indignissimo tanta pietate semper subvenire dignata est, ad quam in peccatis foetens primitus suspiravi et me ei commisi: quae me ulterius reduxit ad filium suum, et in gratiam pristinam restituit. Unde Deo soli, a quo omnia bona principaliter procedunt, laus et gloria ab omni creatura etc.

Hic igitur cum in vita spirituali magnos brevi tempore fecisset progressus, cumque Pater Leidensis advertisset valde industriam, assumpsit illum in coadjutorem pro rerum temporalium administratione. Factus Procurator anno 1523 ante omnia salutis suae studiosissimus, toti etiam conventui fidelissime servivit, tum Fratrum laicorum, utpote sibi maxime commissorum, curam habuit maximam.

Mox anno sequenti multis laboribus externam monasterii statum in ordinem pulcherrimum redigere coepit, omnibus registris domus ad amissim renovatis. Nec interim Diabolus circumiens ut leo insidiari destitit, quatenus illum in suam retiam pelliceret. Cum enim tempore Vindemiae aliquando foris in villa quadam nostra maneret, ac

vesperi peractis precibus se quieti vellet recipere, expandens lectum, deprehendit mulierem in eo cubantem seque allicientem, qua visa, exemplo s. Bernardi furem adese clamans, accito mox socio ipsa nocte illic au fugit summoque mane reversus Coloniae, V. P.

Joanni Lanspergio id temporis vicario, quid sibi conlegisset indicavit, qui ipsum manu prehensum illico ecclesiam duxit, ibique pariter ob victoriam de nequissime hoste deportatam, divinae lenitati gratias agentes, Hymnum Ambrosianum cecinerunt.

Nec minus splendorum virtutum radios diffudit, ~~dominicum~~ Prior esset, quam dignitatem defuncto Patri Leidensi solus Conventus unanimi consensu obtinuit anno 1536, 11<sup>o</sup> Octobris praesidentibus electioni Prioribus domorum Moguntiae et Wesaliae paulo post visitator etiam Provinciae in sequenti capitulo renuntiatus, quo tempore in conventu fuerunt 19 monachi professi, e quibus carceri duo, mancipati unus amentiae, alter nequitiae causa, quinque hospites, 3 novitii; foris 13 conversi, quorum unus leprosus, praebiter unus praebendarius.

Porro Prior renuntiatus summa sollicitudine in illud incubuit, quo Gregem sibi commissum bene regeret virga divini timoris, atque monasticae disciplinae, minaretque ad pascua coelestis Paradisi. In temporaliibus domum optime gubernavit augendo illam redditibus amplius quam sui praedecessores.

Praeterea non nescius, quod indigentibus erogans elemosinam thesaurum reponat in coelo, in hoc maxime fuit sollicitus, quo sibi suisque sum gratiae, tum gloriae dona apud Deum

eleemosinarum largitione conciliaret, atque huic operi adeo fuit intentus, quod R. D. Nicolaus Eschius (vir doctina et sanctitate conspicuus, atque in vita contemplativa tam excellens, quod sibi extasis seu raptus mentis in Deum adeo familiaris, quem sit compressio digitorum) dicere non dubitaret inter celeberrimas Europae urbes, Romam et Coloniā, non fuisse parem eleemosynarum. Nec inmerito: ipse etenim hanc magnificentiam expertus et quam maxime, dum rector esset pauperum monialium prope Diesthemium in Brabantia, quas ille larga huius Prioris effusione eleemosynarum aluit et refecit.

Expertus est R. P. Faber, unus et primus s. Ignatii, Fundatoris Societatis Jesu socius, quando una cum suis adiutoribus hoc Priore primitus in hac domo receptus, multo tempore sustentatus, et apud inclitum senatum Coloniensem recommendatus, atque promotus fuit. Expertus denique fuit ipse s. P. Ignatius, quando Romae passus maximam inopiam ob annonae caritatem in tota Italia, jamque ex urbe migraturus. Nisi nuntius ab hac Cartusia missus detulisset centenos aliquot florenos: unde non parum exhilaratus cum sociis, navim pro abitu iam locatam missam fecit. Testatur id ipsum R. P. Nicolaus Orlandus ejusdem Soc. Jesu. Lib. 8<sup>vo</sup> N<sup>o</sup> 39 ad annum 1548, Mem. lib. 14, N<sup>o</sup> 46 ad annum 1554 suae historiae Societatis, cuius verba chronologiae inserta. Placuit hic addere hoc loco epistolam s. Ignatii Romae, datam ad Patrem Gerhardum Priorem:

J H U S.

Summa gratia et aeternus amor Dei et Domini

ni Jesu Christi, paternitatem vestram cum sancta  
sua congregatione continuis donorum suorum  
spiritualium exornet et promoveat incrementis.  
Quamvis rara nobis cum paternitate vestra fuerit  
his annis litterarum communicatio, crebra tamen  
fuit orationum: sicut et mutuae charitatis affec-  
tum ipso temporis decursu augeri potius quam  
minui sentimus. Quod ex parte nostra, viva me-  
moriam vestri et indices magis propensus in vos  
animus. Ex parte nostra, non solum litterae  
nostroarum, (qui continuis beneficiis se affeci-  
a paternitate vestra scribunt) sed et experientia  
ipsa vestrae beneficentiae Romam usque ad  
nos se extendentis nos docet, de qua gratias agi-  
mus Deo bonorum omnium auctori, et pater-  
nitati vestrae quam maximas.

Admodum enim opportune necessitatibus  
huius collegii vestra liberalitas subvenit. Et in  
nobis mutuae dilectionis, vinculum tantae  
charitatis vestrae significatio valde strinxit, dig-  
netur Dominus Jesus secundum divitias sum-  
mae bonitatis suae hoc beneficium cum caeteris  
omnibus pro suis pauperibus rependere. Romae  
valent fratres, qui in collegio et domo nostra sunt,  
me Dominus adversa valetudine his mensibus  
exercuit. Sed jam mediocriter valere incoepi.  
Reliqua ex fratribus nostris ad quos fusius scri-  
buntur, paternitas vestra intelliget omnes nos  
orationibus et sacrificiis vestrae paternitatis et  
venerabilium fratrum suorum ac nostroarum ha-  
militer commendari cupimus, vale in Domino Jesu  
Christo, qui solus omnibus et vita sit sempiterna,  
amen. Roma XII Kalend. September. M. D. LXX.

Vestrae paternitatis servus in domino Jesu Christo  
Ignatius.

Ad sunt praeterea litterae sanctorum virorum, Petri Fabri, Petri Canisii, Joannis Polanci Praesbyterorum societatis Jesu. Aliorumque quibus se gratos agnoscunt pro beneficiis ab hoc Priore cumulatis. Ipsemet fructus elemosinarum crebrius expertus, has suis sequacibus summo opere commendavit hisce verbis merito dignis, ut ad posteros transferantur. Quando primum Prior fui factus, legi ex ss. litteris et doctoribus, quam salutifera sit elemosina, quodque omnes ecclesiastici et religiosi, imo quotquot de patrimonio crucifixi vivunt, teneantur sub magno sacrilegio ac periculo aeternae damnationis, quidquid illis superabundat, dare piis Christi pauperibus.

Non illud in convensationibus, et ebrietatibus, non in cubilibus, et impudiciis, atque saeculi luxu aut pompis, neque in alendis lascivis equis, aut canibus, vel ampla familia exponere. Uti hoc lamentabili saeculo plerisque in locis maximo cum scandalo saecularium videre est. Coepi idcirco anxie mecum perpendere, quia nam creditam mihi dispensationem honestius atque utilius, secundum divinum beneplacitum, meamque conscientiam, multorumque egenorum (et hoc piorum Christi jumentorum) consolationem posse absque alicuius reprehensione vel scandalo exequi. Sed quia multis iam annis in exterioribus disponendis et sollicitandis fueram occupatus, atque optime statum domus moveram, reperi opportunum admodum consilium (consultis tamen viris quibusdam in sacris litteris optime conversatis) ne temere quidquam ex proprio

capite egisse videre: Quod quamdiu in officio.

Prioratus fui, seculus sum, successoribusque meis sequendum relinquo. Secundum regulam piissimi illius viri Tobiae semper egi, et quando mihi multum superabundabat, libenter multum dabam, et quando parum, illud quoque in hilaritate et simplicitate absque ulla expectatione, studii devotis Deo hominibus doctorum gravissimorum, Deumque prae oculis habentium, non sine requisitione et assensu capituli generalis nostri, ad consulendum conscientiae meae peregi, sicut mori optabam, et summo iudici Christo reddere rationem etc.

Fuit hic Prior omni tempore vitae suae sedulus in scribendo, quod M. SS. illius testantur. Nam saecularis formulare reliquit notariis omnibus numeris absolutum, religiosus summo studio in exercitiis spiritualibus colligendis et describendis se occupavit. In praelatura constitutus officiariis suisque sequacibus optimas cautelas et documenta egregia praescripsit pro regimine domus et fortuna sibi bonorum temporalium administratione.

Ipse S. P. Laurentium Turicum principaliter permovit ad translationem piorum librorum, eique fuit auctor, quod vitas sanctorum aliaque colligeret, ac publicaret, hunc in finem codices M. SS. procurando, et sumptus suppeditando. Cum etiam ipse opuscula quaedam insigniora V. P. Dionysii Rihelij in unum congesta volumen, ac magno studio iudicioque selecta publici juris fecit.

Maximus fuit Deiparae virginis cultor et amator, cuius ut rosarium affectuosius piorum

hominum inculcasset animis suis curavit impensis impenni exercitia quaedam valde pia et salutifera de psalterio gloriosae virginis Mariae. Et ut paucis finiam fuit vir boni communis arduantissimus, rei literariae promotor insignis, fidei catholicae propugnator acerrimus, omnia omnibus factus, ut omnes lucrifaceret.

Sub hoc Priore floruit Coloniae devotissima virgo Maria de Osterwisch, virgo extatica et occultae sanctitatis, quae ab hoc Priore fuit alita, filius eiusdem spiritualis, obiit anno 1547.

Denique cum tempus appropinquaret, quo devotis hic pater transiturus esset ad patrem, laborum suorum mercedem recepturus, nuntios mortis morbos accepit. Pedes namque caetera ipsius membra intumuerunt, quibus accessit gravis ruptura membrorum, ut jam frequenter lecto decumbere debuerit, nec tamen pius pater lecto etiam defixus cessavit charitatis ac zelus divini honoris actus insignes in proximis exercere, praesentes verbo, absentes scriptis exhortando, atque ad bona opera instigando: vidensque se senis, quod ipse morbus, aliisque infirmitatibus magis magisque se gravari, nec amplius idoneum ad functiones sui officii integraliter praestandas, humiliter et instanter petiit a capitulo generali misericordiam et absolutionem a Prioris officio: cui anno 1557 idem capitulum respondit in haec verba Priori domus Coloniae non fit misericordia, quem rogamus, ut ad exemplum Christi sanctam obedientiam peneat ac consummet.

Atque suo exemplo doceat caeteros crucem obedientiae patienter portare usque in finem. Et iuxta gratiam sibi a Deo datam, visitatores, priores et personas ordinis verbo et scripto informet, instruat et dirigat. Et similiter D. Thomam, vicarium suum, quem hortantes et praecipientes, rogamus, ut ad formam sui prioris, et prout ab eo sibi fuerit injunctum et consultum studeat vices ipsius Prioris exequi, atque illius infirmitates et debilitates portare et supplere cum omni modestia et discretionem. Similes exhortationes idem capitulum annis subsequentibus plures fecit, ut appareat, quod ordini vir iste fuerit gratissimus, pro quo tantam habuerant sollicitudinem patres nostri superiores. Sic enim ab ipsis ordinatum anno 1565. Priori domus Coloniæ non fit misericordia, visum fuit quoque capitulo non pro generali ordinare ut officiales in genere sublevent senectutem patris quantum possunt et provideatur illi de bono ministro vel infirmario, qui semper illi adit.

Tandem optimas ac vere venerabilis pater septuagenarius major, anno 1566, 2 Augusti sacramentis ecclesiae pite munus circa septimanam matutinam, spiritum reddidit creatori, a quo acceperat, non sine luctu plurimorum, quos aluerat concurrentibus ad funus multisque lachrymis orbitatem suam lugentibus. Vixit in ordine annis 46, in officio procuratoris consumpsit annos 13, praefuit in prioratu annis 29, mensibus 9, diebus 23.

Decimus octavus II. Thomas  
Winckelman Lubecensis.

Iste venerabilis pater est celebri civitate  
Lubeca progenitus, fuit puerorum ultimus (uti  
referre solitus) qui abs Catholico parcho bap-  
tismatis quousque ablutus, ipso namque baptizato,  
post modicum in illa urbe Neo evangelium in-  
productum, religioque fuit mutata. Qui cum  
a parentibus Coloniaram studiorum causa mis-  
sus, ibi genio plus indulgeret, et nocte quadam  
cum sodalibus bene potus ac hilaris per pla-  
neas vagaretur, omniaque illa faceret, quae so-  
lent filii huius saeculi, clamando, saliendo,  
cantando ad sonitum cythara, aliorumque  
musicis instrumentorum. Appropinquans  
Cartusiae audivit Dei ministros magna gravi-  
tate et affectu cantantes hymnum: Te Deum  
laudamus.

Hic ille, quasi attonitus et a Deo com-  
punctus, cogitabat tacitus intra se. Ecce isti  
viri religiosi servant jugiter Deo, ipsum diu no-  
tuque laudantes. Tu mundo obediens secundum  
carnis desideria vivis divinis legibus contemptis.  
Ecce isti servi altissimi relicto saeculo cum  
suis concupiscentiis incessanter expectant do-  
mini adventum, mortemque salutarem: Tu  
sequeris mores saeculi corruptos, cui si inspi-  
rato mori contingeret, pro reddenda ratione  
fores plane imparatus. En isti transcurso foe-  
liciter miserae huius vitae curriculo, quid ali-  
ud expectant, quidve merentur, quam bonorum

operam mercedem vitam aeternam? An quid aliud, nisi supplicia aeterna: Haec et alia dum subsistens relictis sociis aliquantisper secum mente tractaret, tandem proponit quantocius cum saeculo facere divortium, Christumque sequi in ordine nostro. Nec mora, summo mane D. Gerardo priori mentis suae propositum aperit humillime rogans admitti in numerum sanctae societatis: Cui juvenem delicate nutritum, corpore complexionemque tenellam, ac sericis vestitum videns, proinde ad ordinem nostrum minus idoneum judicans, initio difficilem se praebuit, at ubi pulsantis constantiam, atque ad ordinis gravium magis onerum propositionem vidit immobilem, ad probationem ipsam recipiendam cellae mancipavit, Anno Salutis 1547. Interea socij convulsionis absentiam lugentes cum ubivis locorum incassum quaesivissent, aut clanculo peremptum, vel carceri inclusum alicubi crediderunt. Donec hebdomadibus aliquot transactis in Cartusiam receptum non sine stupore perceperunt. Sic Thomas noster a Deo vocatus, et in claustralem paradisum translatus, eiusdem delictis perfrui coepit. Sed non destitit ipsi serpens antiquus insidias ponere, submitiendo sodales priores mundanos, carnales, qui ut sapere viderentur, stultitia novam arguant Tyronem, quod se tam misero carceri mancipavit, velitque sui ipsius esse homicidia, suggerant deum optimi patris maerorem, Pissimaeque matris luctum, ob perditam dilectissimam filium. Haec adeo penetrant viscera Novelli Tyronis, ejusque cor sauciant, ut jam pene deficeret. Coepit

equidem obedire pessimis hisce consultoribus, sed vocillantem animum instructori vel superiori manifestare formidabat. Quod ubi advertunt socii, quasi de alea iam securi medium suggerunt, murum scilicet ostendunt, scalam exhibent, seseque coadjutores pollicentur. De hinc ad urbem reversi, modis omnibus machinantur quatenus aviculam e cavea pelliceant. Aderat eodem tempore Nuntius Lubeca missus a parente cum equo, qui filium reduceret, instruitur ille, ut circa murum Cartusiae praestoletur cum jumento. Sed qui Thomam vocaverat ad religionem in hac sentatione non reliquit.

Erat tunc temporis vicarius P. Bruno Coherius, vir pius et eruditus, nec non insignis novitiorum director, illius curae noster Thomas commissus erat instituendus, sensit hic, quasi ~~in~~ eodem momento, divino impulsu se moveri <sup>in</sup> spiritu, ut quanto citius discipulum visitet, quidve circa illum agatur, exploret. Sanctis igitur inspirationibus continuo motum gerens, accurrit, discipuli cellam subit, et ecce scalam videt appositam muro novitiorumque ad fugam accinctam: stappet illico ac ingemiscit; tandem lenibus verbis turbatum ad sanioerem mentem revocat, suisque monitis stabilioerem de caepero reddit. Cui coquita sentationis astutia e primo lapsu cautioer deinde redditas, sedulos in sui ipsius mortificatione, virtutum acquisitione ac regulari observantia fecit progressus. Hinc factum, quod anno 1555

D. Brasconi magistro suo successerit in vicariatu, duobusque annis transactis ordinatus sit procurator. Novissime defuncto Priore votis omnium electus prior. Haud absque metu Divino & Gerardus enim sapiens adesse tempus suae resolutionis, ad lectulam vocavit universos filios sibi commissos, eisque dixit. Charissime fratres, hora depositionis meae instat, neminem vestrum scio aptiorem mei successorem D. Thoma procuratore, hunc suades, ut elegatis me defuncto. Vivit dominus in cuius conspectu praestorum, et quo aeternam expecto retributionem, ubi votorum in coelis positus fuero, curam vestri geram, et si officio ipse suo defuerit, ego illum visitabo.

Electus igitur omnium suffragiis Prior anno domini 1566, 7<sup>ma</sup> Augusti, ac postridie confirmatus, insequenti capitulo renunciatus etiam fuit convisorator Provinciae. Fuerunt hoc tempore in conventu 19 monachi professi, hospes unus, 9 conversi, duo redditu, in granario 200 med. bladorum diversi generis, in bursa 976 aurei Rhenseses.

Porro prior utramque sibi manus impositam foeliciter administravit, domus etenim curam gessit quam maximam in spiritualibus aequè ac temporalibus: nec minus sollicitus fuit pro tota Provincia regenda. Testantur idipsam chartae capituli generalis anni 1573 et 74. Cum enim Gensi anno 1572, 23 Julij Cartusiam Ruremundensem miserime vastassent, religiosi inaudita quadam rabie occisis aut vulneratis. Iste fidelis ac bonus pater Thomas aliquot aureorum milia mutuo accepit, oppignoratis domus suae

bonis, quo desolatam istam domum posset restau-  
rare. Hinc à patribus in capitulo, anni 1574 con-  
gregatus animatus fuit in haec verba.

Priori domus Coloniae non fit misericordia,  
quem rogantes hortamur, ut juxta sibi a Deo da-  
tam gratiam, Provinciae sibi editae (etiam  
Saxoniae) opere, verbo, et scripto intendat, et se  
impendat, et cum praevalitudine dictum officii  
sui visitatoris non poterit adimplere, prioribus  
Confluentiae, Treveris et Julmaniae vices suas  
committat etc.

Fuit venerandus istae pater staturae pro-  
cerae, corpore gracili, colore subsuseo, moribus  
gravis, in conversationibus affabilis, jucundus  
cum honesta gravitate, maturus cum suavi  
quadam affabilitate, et quod est primarium,  
insigni deditus clementia et charitate, unde  
sicut de sanctis quibusdam legitur delinquen-  
tibus adeo compassis, ut copiosas etiam la-  
chrymis effuderint: ita non minus nostrum  
Thomam fecisse comperimus. Cum etenim  
in officio visitatoris constitutus, deprehendisset  
priorem quendam suae provinciae subjectum,  
statutorum transgressorum poenas iis-  
dem praescriptas incurrisse: Anno 1573 pro  
eodem R. C. generalem caeterosque definitores  
capituli generalis interpellavit hunc in  
modum. Reverende pater, et venerabiles patres de-  
finitores: cum omnes simus homines fragiles, et ad  
peccata proclives, rogo ego pro mea persona, et cum la-  
chrymis supplicio fratribus meis propter Deum, et  
ipsius amarissimam passionem, ut facere dignemini

ni cum ove errante, cum filio prodigio miseri-  
cordiam ne maiori absorbeatur tristitia. Non cas-  
ligetur secundum vigorem justitiae sed secundum  
mansuetudinem paternae pietatis et misericordiae.  
Si reverendo Patri ita visum est, et capitulo nostro ge-  
nerali, libenter agam poenitentiam cum illo, et pro  
illo etc. En quam praeclare is, qui ut justitia execu-  
tor punire debebat, pro reo sublimiorem interpellat  
potestatem.

Nem iste Pater annis aliquot in officiis strenue  
transactis adeo graviter fuit infirmatus, quod exinde  
pedum officio via uti potuerit, crallarum sustenta-  
cula adhibere compulsus, neque interim Prioris aut  
visitatoris munia praetermisit, cum crallis chorum  
frequentans, et cum iisdem Ruremundam se con-  
ferens, postquam domus illa a Genis foede lacera-  
ta.

Denique Confluentiam pergens, superiorem  
Provinciae partem invisurus, ibidem ex morbo  
decubuit, et optime de ordine meritus, e vita de-  
cessit anno 1575. 31. Augusti cum praefuisset  
annis 9, diebus 24. Corpus Coloniis navi-  
gio revectorum, in coemiterio domus inter  
antecessores suos repositum fuit.

### Decimus nonus D. Joannes Melis Osterwicanus,

Hic Prior natione Belga, patria Osterwicanus,  
ad vexillum Christi convolvavit, nostrum ordinem  
Coloniae ingressus anno salutis 1542. Qui cum  
eximia vitae integritate, modestia pietate in  
Deum, devotionem beatis virginem Mariam,

erga confratres charitate praestaret. D. Thomae in vicariatu, quo 20 annis praecclare defunctus. Dein in prioratu successit, canonico Patrum suffragio electus anno 1575. 16 Septembris. Praeridentibus electioni Prioribus Domorum Confluentiae et Submarinae, ac Domum annis quatuor, mensibus tribus, diebus 18, suaviter ac prudenter rexit, de corporis ergastulo liberatus, anno 1580. 3. Januarii.

### Vigesimus D, Joannes Reckshenckel, Trevirensis,

Hic V. P. ubique cognominatus a patria Joannes Trevirensis, natus est anno 1525. 4. Februarii sub ipso exordio Lutherianorum, qui cum crevisset aetate, ac litteris promotus magister artium Lovanii anno 1551, ad statum ecclesiasticum convertens animam ordinatus est praesbiter anno 1552. Sabbatho post Pentecosten, deinde factus pastor Ruralis in Lonquerich pro milliari ab urbe Trevirensi. Postea canonicus ecclesiae collegiatae s. Paulini episcopi et martyris juxta urbem: quo in statum graviter decenterque se gessit, ut annis aliquo transactis, praelatus caeteris, et decanus fuerit electus. Ipse vero perpendens lubricam illo in statu conditionem e turbulendis hujus saeculi fluctibus ad ordinis nostri portum, Vir jam maturus quadragesimum quartum aegens annum, confugit, anno 1569. Professus vota monastica anno sequenti, 23 Novembris cum D. Jacobo Mosander q. Decano Rurali in Flandria. Cumque eidem nostri instituti normam rite formatus ac virtutibus religiosus fuisset excultus, anno 1573. institutus fuit

sacrista, seu sacrae suppellectilis custos, deinde anno 1577 ad exteriora adhibitus, coadjutorum egit aliquandiu, donec anno 1580. 18 Januarii canonica Patrum electione Prior assumptus, et postmodum confirmatus: quo tempore fuerunt in conventu 18 monachi professi, quatuor hospites, e quibus duo diaconi, unus novitius: foris novem conversi, quatuor redditii. Ipse vero prior tanta edidit specimina prudentiae et pietatis mox ab initio, quod anno sequenti vocatus ad capitulum collationem habiturus ad patres conscriptos, quae anno 1583 per chartam eidem demio injuncta.


Sub hoc priore bellum novennale inter Gebhardum Truchsensium apostatam, et Ernestum Bavarum sibi subrogatum exarsit, quo Coloniense territorium miserrime vastatum, quod nostrae quoque Cartusiae fuit exitiosum. Siquidem non ex agricultura, sive pecorum nutritione, ut plures aliae: sed e redditibus et pensionibus sustentatur, cumque villae hoc bello desolatae, et pensionarii ad inopiam fuerint redacti vel mortui hinc maximam possum inopiam, ut ne dum prior gravi aere alieno domum obstringere, sed conventum etiam dividere, et personas ablegare alio compulsus.

Itaque prior excultissimum hoc tempore belli Coloniensis plurimas sustinuit molestias, afflictiones, inopias, quales praedecessorum nullus, propter continuos tumultus hostiles: nec tamen despondit animum, sed fiducia fretus in Deum, a principibus, praelatis, prioribus, diversisque ordinis fautoribus, quos interpellarat, eo quod apud illos pollebat favore et gratia maximas obtinuit elemosynas.

Sed etiam id laudis habet, quod iuriam  
 domus suae defensor strenuus, privilegia eiusdem  
 omnia et singula renovari curavit, solemnibus  
 de super instrumentis confectis, impetrata ipso-  
 rum confirmatione ab invictissimo Romanorum  
 rege et imperatore Rudolpho, nec non a Summo  
 tribunali imperialis camerae Spirensis. Sicque  
 deinceps immunis factus ab omni exactione, qua  
 principes, oppressoresque varii contra iustitiam et  
 aequitatem domum annis plurimis excoriave-  
 rant. Idem aliquoties convivatoris vices sup-  
 plendo, cum maximo vitae discrimine, propter pe-  
 ricula itinerum ab ecclesiae hostibus infestatorum  
 domos ordinis lustravit, hinc beneficium missae  
 de domina et anniversarii perpetui post obitum  
 ob ordine remuneratus.

Tandem cum prior iste senio confectus, ac  
 septuagenario maior, curis plurimis contritus, la-  
 boribusque diversis totus esset exhaustus, anno 1596.  
 25 Septembris in visitatione, ad maximam sui in-  
 stantiam a prioratu absolutus, rediit ad cellam,  
 residuam vitae rebus impendens spiritualibus,  
 debitaeque praeparationi ad mortem, quam fo-  
 liciter obiit senio gravis anno 1611. 5<sup>ta</sup> Aprilis  
 annorum aetatis aegens 87.

Fuit hic vix assiduus lector SS. patrum, e  
 quibus sententias notabiliores excerptas, pas-  
 sim in aris ambitus, cellarumque parietibus  
 grosso caractere inscripsit, alias quoque in tabulis  
 ligneis hinc inde affixis depinxit, quatenus hac  
 methodo saeculares Cartusiam frequentantes, quos  
 viva voce non poterat facite ad normam bea-



P1 local pour Groupe S104 8 sacs

Hauteur sous plafond 3,77  
Niveau sol intérieur - 0,34 m sur P2


P2 Hauteur sous plafond 3,12 sans solive 3,10

P3 Hauteur sous plafond 3,72 sans solive 3,45 m Niveau sol - 0,30 dm sur P2

- M1 Scie à format 1 Bouche  $\phi$  120 mm
- M2 Tourne 1 "  $\phi$  120 mm
- M3 Raboteuse 1 "  $\phi$  140 mm
- M4 Dégauchisseuse 1 "  $\phi$  120 mm

3 Machines en fonctionnement à la fois

Pour l'avenir rajoute d'une Machine 4 Faces



hac vitae dirigeret. Inde referunt seniores, pueros his visis, lectisque matribus quandoque retulisse, parietes in Cartusia loqui, ita quod simpliciores credulae fœces se reputassent, si aditus sibi tantum audiendi miraculum, licite concedi ~~poterant~~ <sup>potuissent</sup> potuissent.

## Vigesimus unus D. Hermannus Siperus,

Iste V. P. natione Westphalus, patria Reckelingshausen grandis iam natu, et sacris initiatus, cum parochi officio fungeretur, rebus saeculi contemptis ordinem nostrum est Coloniae ingressus anno 1583 in tantum proficiens, quod triennio post vices Marthae subire iussus, coadjutoris munus suscepit, tum anno 1589 mater conventus sive vicarius declaratus, adeo praeclare se gessit, quod anno 1592 institutus prior domus Dulmaniae; indeque ad ubera matris, quae ipsum nutrierat revocatus, ex auctoritate domino Joanne Treverensi electus successor 28 Septembris installatus 22. ejusdem; confirmatus prima Octobris, quo tempore conventum constabant 15 monachi professi, tres hospites, unus novitius, foris erant tres conversi, quatuor donati. Reperit novellus prior in arca 115 florenos, in cavea 24 1/2 plaustra vini, in granariis 12 maltra tritici, 9 maltra siliginis, 75 maltra hordei, 4 maltra avenae.

Sed triennio vix perfunctus officio, quam obrem nescitur anno 1599 in Septembris tempore prorsus insolito profectus ad maiorem Cartusiam

a reverendo patri generali petiit, obtinuitque demissionem ab hoc officio, conventui jure electionis concessa. Ipse vero ibidem aliquamdiu moratus, inde Molsheimium, ubi ad breve tempus vicarium egit, postea Hildesiam recessit, loci illius domum ex commissione reverendi patris Brunonis reformaturus, ubi post visitationem a se factam vitae terminum clausit anno 1603. 14 Julij.

## Vigesimus secundus. D. Georgius Mejerus.

Absolute D. Hermannus volis Patrum successit anno 1600. 15 Januarii D. Georgius Mejerus, natione Flander, Patria Gandovensis, aa. l. l. magister duaci promodus, prius sacrista et procurator. Hic imitari volens domos ordinis seorsim extra urbes positas, quae nutritura pecorum et agricultura propria sustentatur; coepit aedificare stabula pecorum, emere agros, equos, vaccas et oves, ac suscipere familiam saecularem, sicque primus introduxit agriculturam hac in domo hactenus insolitam; Sed majori sub spe quam prospero successu. Computatis enim omnibus, expensa annuae majores fuerant fructibus inde perceptis, labores insuper et molestiae quam plurimae, atque ex pecorum hinc inde transitu, sordes ubique, non sine displicentia senatus, et civium plurimorum. Neque enim in domibus intra civitates amplius huiusmodi negotia pio utiliter exerceri potest. Quamobrem quinque nio via expleto oeconomia haec abrogata, et prior per chartam capitali ad domum Julia-censem, ubi liberius intento vacare posset trans-

latus fuit, ibidemque obiit Prior anno 1618. 14. Novembris. Cadaver Coloniense resectum, inter comprofessos obtinuit sepulturam. Quaerelas senatus Coloniensis coram PP. visitatoribus in actu visitationis adversus istum Priorem depositas cum eius replica habes in fine.

### Vigesimus tertius D. Joannes al. Zachaeus Romm,

Iste Prior natione Bavarus, patria Eistettensis, corporis statura pusillus erat, unde nomen Zachei adeptus, ipsum quoad vitam in ordine retinuit: operibus tamen atque virtutibus valde magnus moribus modestus, corpore castus, humilis corde, omnibus fuit amabilis, anno 1576. Vir propectae iam aetatis sociatus nostris anno 1596 institutus fuit vicarius, deinde absoluto praecedenti Patrum suffragio electus in Priorem anno 1605 mense Junio, unus idemque sibi verisimilis mansit, nec honores mutabant mores... Reperit in cellarario 180 plaustra vini, in granariis siliginis maldra 1040, hordei 82 maldra, Aritici 16 maldra.

Vir fuit maxime pius, orationi valde deditus, multasque habuit illustrationes divinas, quibus mirifice recreabatur a Deo, quarum una, quod aliquando retulit, e novellis a se formatis ad normam ordinis, de trium morte praepropera extinctorum aeterna salute se certificatum.

Unde nonnulli id ipsum, quod Dominus Erasmus Winheim Cartusiae Herbipolensis professus in dialogis germanicis a se editis recenset sibi hoc a Priore prope septuagenario relatam, eundem

competere, atque ab ipso, quasi de alio ex humili-  
tate relatum existimant; videlicet fuisse tempore  
suo quendam hac in domo infirmum, a siti ve-  
hementer cruciatum, qui cum lecto se movere non  
posset, nec infirmarium eadem in cella mini-  
mum e vigiliis gravatum, et indormientem ex  
compassione, a somno excitare voluisset, intole-  
rabilem hanc sitim Deo, beatissimae virginis  
Mariae, et s. Barbarae patronae suae offerre volu-  
isse: cumque caput saepius obsitis formentum  
hinc inde jactasset repetitis vicibus ingeminans  
Domine fiat voluntas tua: semis operum hanc  
vocem audivisse, Joannes, Joannes quia voluntas  
sua in voluntatem divinam totaliter et resig-  
nata, Deus suam voluntatem suae univit. Et  
subito matronam excellentissimam lecto ap-  
propriasse, poculum eidem pulcherrimum lacte  
plenum ori admovisse, in tantum elevando,  
quod inde suscitatus, labia adhuc madere, men-  
surae lactis guttas adhaerere persenserit.

Veruntamen Prior iste frequentibus mor-  
bis, quibus pii plerumque a Deo visitantur,  
conflictus, viribus exhaustus, dum coelum  
mutat, temperatiorem aërem quaerit, ad  
imbecillam suendam validitatem in domo  
Rutilana anno 1610, Dominica Reminiscere  
factus apoplexia, vitam in ipsa finivit  
anno salutis 1611. 15. Februarij, aetatis 72  
cum praefuisset annis 5, mensibus 6,  
diebus 15. Convisitator provinciae annos  
quatuor.

## Vigésimus quartus D. Tillmannus Clouk.

Venerabilis iste pater, j. m. doctor egregius, vir magni u-  
 met perspicacis ingenii, ac in utroque statu perspi-  
 catissimus: sicuti fuit sectator vitae saecularis D. Thomae  
 octavi decimi prioris, ita pari instinctu ex auditione  
 Cantus nocturni potrum nostrorum dum grassaretur  
 per plateas, collectus ad ordinem nostrum anno  
 1600, in quo cum paucos annos exegisset, ole singula-  
 rem prudentiam, et maturitatem Procurator institu-  
 tus, strenuum atque fidelem ministrum se exhibuit,  
 iam tum celeberrimi viri Domini Hectors, Prioris Tre-  
 virensis, et Provinciae Rhemanae visitatoris socius ali-  
 quando visitationis.

Exinde sublato e vivis patre Zachaeo eidem suc-  
 centuriatus anno 1611. q<sup>na</sup> Junij functioni huic di-  
 ligenter respondere, domumque in sua proorsus in-  
 tegritate satagens conversare, in omnibus ressollici-  
 tum pastorem studuit exhibere, suasque oculos  
 paterno prosecutus amore, in pace et tranquillitate  
 regere sollicitus fuit. At quoniam non tantum domus  
 suae Prior, sed paulo post Provinciarum Rheni et  
 Saxoniae visitator designatus, omnium sibi com-  
 missorum sic curam egit, quasi pro singulis aliis  
 primo rationem redditurus: imprimis pro discipli-  
 na regulari ubique illibate servanda apprime sol-  
 licitus. Et quia e Provincia Saxoniae domus ad has  
 usque omnes alienis manibus occupatae, cum  
 animadverteret ansam sibi datam earundem re-  
 cuperandarum, duce Frislandriae ordinis nostri  
 factore eximio in Pomerania dominante, ipse ad  
 eundem maximis suae domus expensis se con-

lulit, si quovismodo unam alteramve ordini recuperare posset.

Ad initium regiminis huius prioris fuerunt in conventu 21 monachi professi, e quibus duo diaconi, hospes unus sacerdos: foris 3 conversi professi, unus hospes, redditus annas, donatus unus, 4 novitii donati. In pensu 127 plaustra vini, in annona 764 maldra siliginis, 133 maldra tritici, 64 maldra hordei, in arca 3887 imperiales.

Hic prior ecclesiam novis fenestris, sedilibus sumptuosis, aliisque ornamentis insigniter decoravit, peculium domus novo praedio, vineis agris, nemoribusque coemptis adauxit, multaque aedificia sicut intra, quam extra monasterium restauravit.

Septies praesentem se exhibuit comitiis in Cartasia maiori celebratis. Tandem celebris iste vir, posteaquam 23 annis laudabiliter, exemplariter, utiliterque domui praefuisset, gravibus morbis ante finem flagellatus, et instar tritici in arca domini purgatus post sacramenta christiano ritu suscepta foelicem deo spiritum reddidit, anno 1634. 19 Februarii. Caetera ejus gesta legis in chronologia.

## Vigesimus quintus D. Georgius Expel.

Hic Prior Coloniae in Ubiis natus Dydimus, primae aetatis florem deo ibidem consecravit, Cartasianum ordinem professus anno 1605. 2. Februarii, in quo cum annos aliquot laudabiliter exegisset, primum sacrista, deinde vicarius, tum coadjutor effectus. Demique defuncto Patre Silvano, cum praesidentibus electioni domini

Christophoro Lubelinck, et Jona. Meder, domorum Wesaliae, et Moguntia prioribus, conventus in unam minime conveniret. Missasque fuisset fr. Wilhelmus ad reverendum Patrem Generalem cum litteris Patrum praecedentium, quatenus orbatae domui vigore statutorum de pastore provideret, atque is transeundo Treveros et Rupilava a Prioribus istarum monitus, ne insalutato D. Stephano d'Anvergae novae domus s. Annae prope Namceium Priore, provinciaeque Rheni secunda vice commissario praeteriret, ipsum adiit, qui causam huius itineris audita, eundem redire iussit, auctoritate propria non lectis Patrum litteris, in Rectorem constituens hunc ipsum D. Georgium a linea domus visitatione sibi & probe cognitum obtenta ilico per reverendum Patrem Generalem institutionis huius confirmatione, atque in proximo capitulo e rectore in Priorem substitutione.

Fuere tunc temporis in hac domo monachi 24, e quibus 9<sup>rum</sup> hospites, conversus unus, donati 11. In penia 81 plastra vini, in solaris 180 malva siliginis, 40 malva tritici, 50 malva polentae. In cella Prioris 1546 imperiales, procuratoris 800 imperiales. Debuerat autem domo Namcei 2000 imperiales, et non nullis mercatoribus, circiter 600 imperiales.

Porro hic Prior inter Colonienses nata, primas hunc sibi honorem hac in domo. Fuit vir religiosissimus, a choro nunquam nisi praegnantibus negotiis aut infirmitatibus gravissimis praepediretur absens: primo ne tum quidem quando intercutis morbo correptus aqua guttatim e pedibus stillante suam

sedem inuadaret. Subditis suis, a quibus plurimum amabatur, se imprimis humanum, affabilem benignum exhibuit, liberam illis aditum indulgens, et frequenter in cellis eisdem visitans: omnibus quoque aliis ad eam venientibus, misericordiam suam expandens. In dispensandis monasterii bonis, fratrumque necessitatibus liberalis semper fuit. Multis principibus viris in honore, Carolo duci Lotharingiae metropolis Coloniensis ecclesiae decano carissimus. Ipsa denique patientia sicut firmas in eo radices egerat, quod infirmitates varias, quibus quasi per septennium continuo fatigatus, sulerit patientissime.

Ad haec in aedificiis curandis, caeterisque negotiis externis, quam indistrius solersque fuerit, testis est ambitus maior, cui novem novos arces sive fornices adiecit, prioribus 8 sub D. Joanne de Bonna Priore extractis multo insigniores. In quo praedecessoribus suis a saeculo et ultra palmam praeripuit, quorum nullus tantum opus aggredi ausus: pluresque perfecisset, nisi Hassiam Coloniensem hostiliter vastantes, ejusque obitus intervenissent.

Denique anno 1647. 26 Februarij, cum D. Michaeli Priore Treverensi et visitatore iturus ad visitandam domum Dulmaniac pridie omnibus et singulis suae curae commissis adeo solicite valedixit, cunctorum suffragia requirens, divinitus quasi edoctus, se suosque non amplius visuram. Sicque redux e dicta domo, febris correptus in via, paucis post diebus in domo Kantensi cum summa devotione animam

in manus creatoris effudit, prima Aprilis sepul-  
tus in templo S. P. Brigittanorum, vulgo Marien-  
bauru, aetatis anno 63. cum praefuisset Prior  
annis 12, mensibus 8, diebus 15; convisitator  
Provinciae annis 6.

Sub hoc Priorate anno 1640. 2 Januarii  
obit reverendus admodum et praenobilis  
D. Fridericus Georgius a Schouborn, metro-  
politanae ecclesiae Moguntinae cantor, se-  
nior et praefectus Bingenensis, postquam oc-  
taginta annos Deo, sibi, et amicis vixisset,  
nova ejusdem magna cum pompa illa-  
tus tumulo sub lectorio in choro eidem in-  
cavato. Fuit isdem viveret admodum  
liberalis erga Cartusiam, ornatum eccle-  
siae augeudo cruce singulari opere ex auro,  
argento, chrystallo, lapidibusque pretiosis  
contexta, item duobus candelabris chrystal-  
linis arula reliquis sanctorum insigni, au-  
spendio holoserico auro inter teaso pro-  
ara s. Brunonis nummo ingenti argen-  
teo imaginem s.s. Trinitatis gerente, ejus-  
dem idea e Margaritis in tabella contexta.

**Vigesimus sextus**  
**D. Chyranus Gertrudeus**

Monasterii in Efflia natus, adolescens ve-  
nit ad ordinem anno 1618, vicarii et  
Procuratoris functus, D. Georgio rebus hu-  
manis exempto ibidem promotus tertio  
Augusti anno 1644. Deinde Coloniensem profectus,  
post ad Cartusiam volavit, ubi expleta poeniti-

in subsequenti electione voto uno superans d. Godefridum Poperti tunc temporis Procuratorem domus Kantensis, installatus est anno 1647. 9<sup>ma</sup> Aprilis.

Hic munus partim de summis capitalibus pelutis, partim hinc inde alieno aere contractis, inconsulto conventu emit agros, vineas amplamque domum in Bruleto Rhenensi, ubi constituit familiam copiosam, cui praefecit fratres aliquot laicos inspectores, veruntamen infelicitex magis quam prospere pro domus emolumento: Haec namque bona magno onere gravata, expensis fructu maioribus fuere, et laici a domo sua remotius distantes periculo animarum non caruerunt. Quamobrem ad quaeeras conventus anno 1655 in capitulo generali absolutus, aliquandiu delitavit in domo Juliacensi, indeque reversus ad domum propriam solus abstractus et solitarius vixit, interim afflictus angustiatu acerrimis podagrae, calculi, colicaeque doloribus, quos omnes maxima cum patientia et resignatione toleravit, omni fere solatio destitutus, qui annis pluribus a confabulatione suorum confratrum, tribus exceptis, suspensus et interdictus fuit, quod tamen aequo animo semper tulit.

Sic horas cuiuslibet diei partitus inter preces, lectiones et necessaria vitae sustentacula, ut saediam sensisse nunquam auditus; Tandem aetatis suae anno 79, professionis 58; Postquam 17 annis lecto defixus, diem suum obiit anno 1676

quinta Octobris, hora secunda post meridiem.

Sub hoc Priore Cella stellae sic a signo nuncupata bibliothecae veteri contigua, quam olim b. Petrus Faber ex primis Ignatii sodalibus unus cum socio incoluit aliquamdiu dejecta, et in novam bibliothecam, veteri libris referta, transformata atque fenestris insignibus ac picturis exornata fuit, impensas praestantibus P. Henrici Kleppelii huius domus professi parentibus.

## D. Vigesimus septimus D. Georgius Andree,

Hic venerandus pater Pomeranus natione, patria Tyrizensis acatholicis parentibus ortus et baptizatus, sed in juvenili aetate ad veram religionem conversus, humanioribus et philosophiae studiis per quinquennium operam dedit Graecii in Syria, magister artium ibidem promotus tertio Augusti anno 1621. Deinde Coloniaram profectus, mox ad Cartusianam volavit ubi expleto novici-

alud anno, votis sollemnibus se Deo obstrinxit 27.  
Junij anno 1623.

Vir fuit eximiae semper in Christum cru-  
cifixum, deiparam virginem et sanctos devotionis,  
summae humilitatis et rarae modestiae, in cella  
laboriosissimus, in scribendo, studendo, mathesi,  
librorum compactura, et in omnibus exercitiis  
manualibus versatissimus. Qui cum talis, et tantus es-  
set, a suo Priore et Provinciae visitatore in socium  
sive secretarium prae caeteris electus fuit, quando  
in ducatum Nechlen-burgensem perrederat, veteres  
regionis istius Cartusias ab haereticis recuperaturus.

Inde anno 1638 in vicarium assumptus stren-  
ue ac gelose suum implevit officium, multos  
singulari cura et dexteritate instruxit novitios, vi-  
tutum et doctrinae suavissimum odorem in illos  
diffundens. In hoc munere et alias potus sobrius,  
ita ut in privatis diebus vix nunquam pransus, sed ci-  
bis in vespeream servatis simul pransus fuerit et  
caenatus anno 1647 in visitatione jussus facere  
officium Procuratoris, licet invitus, pari tamen di-  
ligentia et sedulitate illud implevit.

Tandem anno 1655 absoluto Patre Chrysantho au-  
thoritate capituli Generalis institutus Prior a 22 mo-  
nachis, quorum duo hospites, 2 novitii et 15 laicis,  
e quibus duo conversi, unus hospes, 2 novitii homo-  
ginum excepit. Provisio domus constitit in 55  
plaustris vini, 130 maldra tritici, et tot brasij, ac  
570 maldra siliginis; in aerario sui antecessoris  
vix reperit 12 imperiales allatis e cella propria 200  
imperiales debitorum vero immensam copiam ad  
summam 13870 excurrentem?

In hoc officio summa ipsi cura fuit, ut disciplina ordinis integra illibitaeque servaretur, cum in finem relegitis alio quibusdam immorigeris: deinde ut a tanto debitorum mole faceret domum immansum, quod etiam brevi temporis spatii explevit per obventiones diversarum legationum: atque dissuetudines ac onera quibusdam in villis introducta abolerentur, ac libertatis et privilegiis iis dem concessis vigor antiquus rediret. In conversatione apud omnes fuit gratissimus, ut a dignioribus honoraretur, ab aequalibus amaretur, ab inferioribus coleretur.

Anno 1672 Prior Moguntinus et visitator Provinciae ipsam in socium ascivit, pro visitandis domibus Provinciae inferioribus, quo tempore eidem casus gravissimus obtigit, quem tamen ita celare potuit, ut ne in minimo ipsam visitator adverteret, secretorum suorum semper tenacissimus: adeo ut vii magni nominis aliquando disceret, se totius imperii secreta tuto relaturum huic Priori, et certum quod nihil horum esset proditurus.

Ipse ecclesiam ornamentis, hospitia suppellectile, bibliothecam largiter excoluit, tandem post aedificata, restaurata, acquisita diversa (de quibus in chronico) domui suae tam praesesse, quam prodessene conatus: Inter ceteris morbo laborans, nec non molestiarum pondere, curarum mole, et maxime amorum numero oppressus in senectute bona obdormiens alteram adiit saeculum anno 1676. Cal. Junii, aetatis 81, professionis 53, regiminis 41.

Serenissimus princeps elector Coloniensis vi-  
rum in aestimatione habuit, cui in ultima in-  
firmitate non solum aliquoties suam misit  
archiatrum et de praestantissima medicina a  
se ipso elaborata subministravit, sed etiam post  
obitum ejusdem Rosarium expetiit et obtinuit.

(Hucusque scripsit Joannes Lotley)

## Vigesimus octavus D. Joannes Lotley.

Hic venerandus P. Prior, patria Spi-  
rensis, anno 1641, nona Junij professus.  
Postquam Coloniae in Domino professionis  
suae vicarii officium, procuratoris Tri-  
burgi, prioris 14 annis Ephordiae et  
procuratoris denovo Coloniae strenue  
peregisset, tandem Georgio Andreae pri-  
ore pie defuncto, anno 1676 in Junio  
in ejusdem loco electus Prior. Qui uti-  
que vir in multis probatus et exercitatus, non  
longo intervallo convivator, deinde primarius  
visitator Provinciae Rheni et Saxoniae a Capitu-  
lo generali ordinatus, aliquoties ad praedictum  
capitulum ex officio ascendit, ibique etiam  
habuit sermonem ad patres illic congregatos.

Vir singularibus naturae dotibus exornatus,  
habeus aequam staturae proportionem ad men-  
suram aetatis plenitudinis Christi, ita serena  
semper fronte, et hilari facie, nec non morum  
compositione, ut forma exterior fue-  
rit mentis interioris index et prologus: nihil  
ibi latere obscuri, aut tristitiam praeseferen-

his, sed omnia sincera, recta et candida, illic se-  
dem habere. Fuit hic vir oculorum summe cus-  
tos, non ignovans per fenestras intrare mortem  
in animam. Litteris et spiritualibus opusculis col-  
ligendis a puero addictissimus etc.

Postquam autem placuit Deo creatori suo,  
ut ipsam vocaret ad se, praevia duorum die-  
rum infirmitate et aculis viscerum doloribus, tan-  
dem cessit fatis annorum 66, anno 1686. 25.  
Novembris, ipsa die s. Catharinae mane circa  
horam decimam, non sine magno plactu  
filiorum suorum, qui signam expectabant,  
sed interveniente morte optimi patris sui, con-  
gruum refectionis tempus aliquantulum sus-  
pendere coacti fuerunt.

Atque ita tristes et orphani manducaver-  
unt panem doloris. Post refectionem vero funus  
ad ecclesiam delatum, et sequenti die more or-  
dinis terrae mandatum, sed hoc pro recommen-  
datione eiusdem patris et honore domus nostrae  
minime silentio praetercaudem. Cum enim funus  
iam in feretro jaceret, visum est uni ex dominis  
consulibus domino Hermanno Mylio ad exequias  
invitato, emittere radios circa caput, uti mihi  
pro tempore vicario in secreto petulit.

Pro confirmatione huius, simile quid  
mihi ipsi visum est, dum enim ecclesiam intra-  
rem, videbantur mihi omnia luminaria accen-  
sa uti in maioribus sollemnitatibus fieri solet.  
Sed sit, ut sit. Nullum remanet dubium, quin  
optimus iste Pater, dum esset nobiscum in vivis,  
studuerit Christi bonas odor esse Deo in omni loco:

ut et nos vestigia eiusdem sequentes, speremus  
cum ipso aliquando coronari in coelis, amen.

Porro sub huius Prioris regimine fuerunt  
duae alae maioris ambitus ab antecessoribus  
inchoatae ad perfectionem consummatae: una  
alae a littera Y continuatio usque ad insigne  
principis Saxoniae uti oculis modo conspicu-  
um est.

Alterius alae a puteo usque ad angulam  
colloqui. Aliae vero duo alae ex liberali mun-  
ificentia praefati principis ac fundamento  
erectae et ad perfectionem perductae sub sequen-  
te priore fratre Joanne Dens. anno 1700. Atque  
sic tandem aliquando opus magnificum a sae-  
culo et ultra inceptum laudabiliter feliciter-  
que consummatum est.

**D. Vigésimus nonus  
Joannes Dens,**